appella.§.1.in quibus verſ.8. Mantua. in l.vltima in 2.lectu.n.173.C.de edicto diui Adri.Gra-
61 ma.deciſ.82. n.2. Menoch. de adipiſcend. poſſ. rem.2.n.61. vbi n.62. ex Ripa Bal. & Angel. dicit,legata,quę dilationem non admittunt, deberi,etiam anteaquam hęreditas adeatur,
62 vt etiam ibi à n.59. quòd quando in mora hoc imminet periculum, legatarium poſſe propria authoritate occupare legatum, nec teneri remedio, quorum legatorum, ſicuti etiam non auditur creditor petens, vt deti-
63 neatur cadauer debitoris, ne ſepeliatur, nec eius appellationi deferendum eſſe, probant ex aliis Baëca de inope debitore c.1.n.20. latè diximus pluribus adductis Doctoribus ſuprà 2.p.cap.8. à num.72. & ſeqq.

64 Et ex hac etiam ratione,nempe,quia cauſa ſtudiorum dilationem nõ patitur, docuit Bal.in l.vnica num.6.verſ.1.quid ſi vnus.C.ſi de mom.poſſ.appellationem non recipi à ſenten-
65 tia contra turbantem ſcholarem in habitatione, ſequitur Menoch. loco proximè citato, n.63.& ex hac etiam fluit, quòd à ſententia lata contra fabrum malleantẽ apud domum
66 ſcholaris,ſeu Doctoris ſtudiũ impedientem, appellationi emiſſæ minimè eſſe deferendũ. Iſſ.in l.1.in fi.ſub n.45.ff.ſoluto matri.Bal.in l.1. §.1.ff.de ferÿs Alex.in d.l.1.ff.ſoluto matri.idem Alex.in l.ſi.ff.de appell.recip. Thomas Grama. in deciſ.58. n.15. vbi etiam tractat an admittatur appellatio generaliter à qualibet domus expulſionis ſententia.

67 Ex qua quidẽ ratione poteſt iudex à quo appellatione pẽdente abſque reatu attentati ad perpetuam rei memoriã examinare teſtes ſenes & valetudinarios,quoniam dilata examinatio periculum afferret,& ob periculum mortis probatio periret,niſi examinarentur, tenet Maranta de ord. iud.3.p.6.p.prin.q.2. n.195.verſ.22. limita. Petrus Dueñas regul.42. n.33. Afflict.in conſtitu. Neapoli.lib.2.c.32. incipit probationum in caſibus colu.2.in fi.Roland. à Valle conſ.23.num.19.lib.3. & facit Rota in deciſ.3.aliàs 110.nota quod cauſa.de teſtibus, in antiquis, & explicat Lancelo. Robert. de attenta.2.p.c.12.limi.28.quò pertinet quę dicũt Bar.& Salicet.in l.generaliter in ſi prin.C.de rebus credit. quod ideo iuramentum ſub cuius forma, & præſtatione fuit concepta, & lata ſententia,pręſtari poteſt etiam pendente appellatione,ne ſcilicet probatio pereat.

68 Hinc eſt,quòd iudex appellatione pẽdente excommunicatum in articulo mortis cõſtitutum valet abſoluere,vt notauit Franch. in c.qua fronte,in gl.verbo decedat colu.5.ad medium ſub n.18. & ibi etiã cæteri Doctores de appell.quia poteſt decedere in ea,ſi expetetur ſuperioris abſolutio. Sequitur Lancelo.ſuprà limit.43.num.2. cuius eſt etiam farinæ quod ſuprà 2.p.c.5. latè diximus, appellationi ab abſolutione excommunicationis emiſſæ nõ eſſe deferendum, quia periculũ eſt in mora.

Quò etiam pertinet,vt tempus vindemia- 69
rum vel meſſium ſuſpendatur appellatione interpoſita,quæ effectũ ſuum ſaltim ſuſpenſiuum non habet,cùm ex eo reſultet periculum in dilatione,iuxta text in l.ſolet ff.de ferÿs c.ſi.eodem tit.& in expreſſo hanc concluſionẽ probat l.6.tit.18.lib.4.recopi. Auenda. de exequend.manda.1.p.c.6.n.4.poſt princ.

Et alia etiam exempla ad hanc doctrinam 70
ponit d.l.6. & Lancelo. vbi proximis locis l. nulla etiam l.ſi.ff.de appella.recipi.& ſic generaliter in omnibus caſibus in quibus periculũ eſt in mora, appellatio non ſuſpendit, vltra Doctores hucuſq; relatos in diſcurſu huius capituli, probat Franch. in c. qua fronte n.18. de appella. Thom. Grama. deciſ.58. magnifica n.6. P.& alios in d.l.ſi.Lancelo.de attenta.2.p. c.12.limi.53.vide infrà Menoch.de reſtitu.poſſ. rem.3.n.834.Iſſ.in l.1.colu.1.ff.de ferÿs.Maran. in ſpecul. 6.p. tit. de appell. n.319. & per l.quiſquis C.quorum appella.non recipi. Gratia. diſceptatio.foren.tomo 1.c.74. quia quando periculum eſt in mora,recedimus à iuris ordinariis regulis,vt latè ſcribunt Decius in c.dilecta ad fin.verſ.& hoc vnum de confir.vtili. Hippol.de Marſ. in l.1.C.de reprobatio. colu.40. Mandoſ. ſuper gl.41.quod commiſſio cauſarum q.3.n.2.& ſeqq. Menoch.de adipiſ.rem.2.n.59. & probat l.de pupillo. §.ſi quis riuos ff. de operis noui nuntia.l.ait prætor §.ſi debitorem ff. quæ in fraudem creditorum. Felin. in c.2.de præſcriptio. Gratia. diſceptatio.foren.tomo 1.c.74.n.18.ad ſi.fol.175.

Et an creſcente vel decreſcente patrimo- 71
nio alimentati,vel alimentantis creſcant, & decreſcant alimenta etiam poſt ſententiam iudicis, & eius taxationem, & an ad executionem poſſit opponi iſthæc exceptio, latè diximus infrà 4.p.c.7.verſ.ex quo fonte fluit quòd licèt pater.à n.88.& Doctores ibi citati loquuntur quomodocũque alimenta pręſtentur,ſiue officio iudicis,ſiue iure actionis, quos omnino vide, quia eleganter loquuntur, ibidem ad n.88.cum multis ſequẽtibus.

Periculum etenim in mora caret lege,le- 72
gem non admittit, atque legem tribuit,licitum facit, quod non eſt. ac iudicem incompetentem, legitimum,multoties alterat non ſolùm præcepta humana, ſed etiam diuina, atque naturalia, c. ſicut de conſecrat.d.1. c. licèt de ferÿs.c.diſcipulos de conſecrat.diſtinc.5.c.anni rumore.& c.ſi nulla neceſſitas 23. q.8.c. ſecund. de obſeruatione ieiun.c. quanto de conſuetudine.c. quod non eſt licitum de regul. iur. in 6.l. nemine C.de religioſ.& ſumptib.funer.l.2. C.de patri.qui filios diſtraxe. l.vnica.& ibi gloſſa expedire, ff. de officio conſul. cum multis quæ congeſſit

Tiraquell.

Tiraquell de retractu §.1. gloſſa 9.n.32. & latiùs §.26.gloſſa 1.n.18.& ſequen. & iterum in tractatu de pœnis temper. cauſa 33. per totam. Chaſſaneus in conſuetudini. Burgund. rubri.1. §.4. gloſſa 1. n.26. & §.5. verbo, ſe il ne agrace. n.15.& ſeqq Cacheria. deciſ.Pedem.68.n.28. alios refert Queſada,diuerſa.quæſt.c.4 num.3. Petr.Gregor.in ſyntagm.iur.1.p.lib.3.c.8. n.4. latè Camillius Gabinius de verb.ſignif.lib.10. ex n.21. Bobadilla in politica lib.2.c.18.n.318.

73 Et quòd imminens periculum, & inſtans neceſſitas, cùm non recipiat dilationem,attribuat iuriſdictionẽ etiã non habenti, cùm tunc à iuris regulis recedatur, probat text. in Auth.de defenſo.ciui. §.audien. l.2. tit.9.p.5. Abb.in c.cùm non ab homine n.15.cum ſeqq. & ſuprà de iudicÿs, & in c.conſtitutus n.9. de appellat. Alexand.& Imola in l.2. ff.de iuriſ.omn. indic. & conſ 62. diſertiſſime Doctor volumi.4. Suarez in declarat. l.2. fori n.47. & ſeqq. poſt repetitio.l.poſt rem ff.de re iud. Bernard.Diaz in regula 496. Gregor. Lopez in d. l. parti. gloſſ.2. Cacheria. in deciſ. Pedemont.30.n.14. Tallada de carcere c.11.§.2.num.2.Caſtellus à Bobadilla in politica lib.2.c.21.n.71.& c.17. à n.109.cum ſeqq. & iterum eodem lib.2.cap.18. num.318.

CAPVT II.

A ſententia reformante alimenta, ſeu penſionem, & aſſignante cõgruam beneficiato, vel coadiutori dato illiterato,ſeu imperito Rectori,œconomóve,vacanti Eccleſiæ nominato; ſeu etiam lata pro ſolutione decimarum,mercede famulorum,appellationi emiſſæ an non deferens vim faciat.

SVMMARIVM.

Congruæ nouæ ab ſignatione facta per ordinarium Rectori beneficij appellationi emiſſæ non eſt deferendum,quia caret ſuſpenſiuo.n.1.

Concilij Trid. ſeſſ.7.de reformat.c.5.verba adducuntur. ibidem. Concilij Trident. locus ſeſſ.7. c.7.refertur.ibidem.

Concilij Trident.locus refertur ſeſſ.6.de reformat. c.2.& ſeſſ.25.c.4.& eadem ſeſſ.25.de reform. c.25. quibus eſt cautum, in qualibet congruæ portionis aſſignatione ordinarium poſſe appellatione poſtpoſita exequi.ibidem.

Congruæ in aſſignatione Epiſcopus procedit ſecundùm conſcientiam,& velo leuato, ſemotis omnibus exceptionibus,& per conſequens ſemota appellatione.n.2.

In congruæ aſſignatione tractatur de alimentis præſtandis iudicis officio.n.3.

A congruæ aſſignatione, ſicut ab alimẽtorum præſtatione nõ admittitur ſuſpẽſiua appellatio.n.4.

Conſcientia quando à iure iudici eſt onerata, appellatio regulariter non ſuſpendit.n.5.

Congrua aſſignata etiã clerico ſuſpenſo à beneficio, non ſuſpenditur per appellationẽ ſubſecutã.n.6.

Congrua præſtari iubetur per ſententiam prouiſionalem,& ideo non ſuſpenditur.n.7.

Subſidium charitatiuum impoſitum pro ſui ſuſtentatione pariter non ſuſpenditur per appellationem.n.8.

Ab exceſſiua congruæ aſſignatione appellationi interiectæ deferendum non eſt.n.9.

Ab exceſſiua fructuum taxatione & liquidationo facta in executiuis,an & quando ſit licita appellatio.n.10.remiſſiuè.

Alimentario ſeu portionario exigenti annuatim alimenta, aut portionem ab antiquo legitimè conſtitutã, ſi mota lis ſuper reformatione,quia puta, vel aucta eſt res ſuper qua portio eſt conſtituta, vel alia bona quæſiuit alimentarius. n.11. quibus caſibus poteſt agi ad reformationem portionis & alimentorum.n.12.remiſſiuè.

A ſententia ſuper reformatione portionis, ſeu alimentorum ſiue contra actorem, ſiue contra alimentarium lata, licita eſt appellatio quoad vtrumque effectum.n.13.

Alimentorum reformatio idem in effectu eſt, ac ſi ſententia lata fuerit contra alimenta petentem, cui ab hac negatiua permittitur appellare quoad vtrumque effectum. n.14.

In fauorem congruæ aut alimentorum aſſignatione, inductum eſt priuilegium, & ratio prohibendi appellationem ſuſpenſiuam. ibidem.

In fauorem alimentarij quod eſt introductum, non debet in eius damnum retorqueri. n.15.

Ratio prohibendi appellationem cùm ceſſet, debet ceſſare ipſa prouiſio. ibidem.

Appellationis prohibitio in alicuius inducta fauorem debet intelligi, ſi in fauorem eius lata ſit ſententia, ſecus ſi contrà. n.16.

Appellatio quamuis ſit prohibita in remedio l.ſi. C.de edict.diui Adri.tamen permittitur quando ſententia fertur contra actorem. n.17.

Sententia contra alimentarium lata ſi exequeretur, foret dare priuilegium,cui ius negat. ibid.

Appellatio permittitur quoad vtrumque effectum à ſententia, qua declaratur non eſſe reformandam, nec minuendam portionem, ſeu alimenta iam antea conſtituta. n.18.

Appellatio permiſſa à ſententia denegante congruæ ſeu alimentorum reformationem, ſi alimentarius eſt in quaſi poſſeſſione percipiendi, illi non officit, quia lite & appellatione pendente priuari non debet ſua poſſeſſione.ibidem.

Continuans ſuam poſſeſſionem lite & appellatione pendente non attentat. n.19.

Penſionario exiſtente in quaſi poſſeſſione exigendi penſionem lata ſententia ſuper reformatione

b penſionis,

penſionis, aut nullitate ipſius non exequitur prima ſententia, nec ipſe interim impeditur ſua vti quaſi poſſeſſione, imò tunc reſcribitur cum clauſula (ſine retardatione ſolutionis penſionis.) n.20.

A ſententia reformante penſionem ab antiquo conſtitutam ſuper beneficio, ex quibus cauſis, & quando admittat appellationē ſuſpenſiuā. n.21.

Reprobatur Ceuallos opinio. n.22.

Congruæ ex antiquo conſtitutæ quando per Rectorem agitur ad augmentum, ex quo incidenter tractatur de penſionis reformatione, appellationi ab augmento congruæ, & incidenter à diminutione penſionis non eſt deferendum. n.23.

Alimentorum priuilegium non admittendæ appellationis ſuſpenſiuæ procedit, nō ſolùm quando ſententia lata eſt pro omnibus alimentis præſtandis, ſed etiam pro aliqua parte ipſorum. num.24.

Augmentum regulatur ſecundùm naturam principalis, cui augetur. n.25.

Appellari ſi non poteſt à ſententia lata ex iuriſdictione ordinaria, pariter nec poterit appellari à ſententia lata ex iuriſdictione prorogata. n.26.

Appellari ſi non poteſt ab aliquo propter dignitatem perſonæ vel aliàs, pariter nec poterit appellari ſi procedat ex iuriſdictione prorogata. num.27.

Iuriſdictio prorogata & augmentata non eſt diuerſa à prima, ſed eadem extenſa, & de vtraque idem eſt iudicium. n.28.

Congruæ & alimentorum augmentum vbi concurrit in eadem ſententia cum penſionis diminutione quoad appellationis prohibitionem diuerſæ ſunt qualitatis, & quæ præualet. n.29.

Sententia quamuis ſit ſtricti iuris, tamen ex vi attractiua continens vnum trahitur ad aliud, ſine quo illud vnum ſuper quo lata eſt, non poteſt ſortiri effectum. n.30.

Quod procedit etiam in libello. ibidem.

Sententia lata ſuper congruæ augmento cauſatiuè & incidenter præiudicat penſionario ſuper diminutione penſionis, cùm principaliter agatur de congruæ augmento. n.31.

Attenditur ſemper, quod principaliter agitur. ibidem.

Congruæ augmentum cùm ſit cauſa diminutionis penſionis, illius naturam attendere debemus. ibidem.

Ius potentiùs operatur in cauſa, quàm in cauſato. num.32.

Qualitates contrariæ quando in eadem ſententia concurrunt, alia permiſſiua, alia verò prohibitiua appellationis, acceſſoria cedit naturæ principalis. n.33.

Qualitates contrariæ concurrentes in ſententia circa vnum inſeparabile æquè principaliter tamen, qualitas prohibitiua appellationis præualet. n.34.

Congruæ augmentum & penſionis concurrunt circa vnum & idem indiſſolubile. n.35.

A penſionis diminutione non poteſt admitti appellatio ſuſpenſiua, quin eundem effectum cauſet in augmento congruæ contra eius priuilegium. ibidem.

Flores de Mena inconſtantia in hac quæſtione refertur. n.36.

Penſionis ad reformationem quando agitur ex cauſa agendæ congruæ, non agitur iure actionis, ſed officio iudicis contra Flores de Mena. num.37.

Clauſula Bullæ (dummodo remaneant centum pro Rectore) ad corroborationem iuris Rectori competentis eſt appoſita, non vt illud innouetur. num.38.

Alimentorum augmenti ſententia multo fortiùs excludit appellationem ſuſpenſiuam. n.39.

Alimentarius quamuis conſenſerit taxationi alimentorum factæ per rem iudicatam, ſemper poterit petere augmentum ſi reditus decreuerint, vel alia iuſta cauſa. n.40.

Congruæ petitio non habet locum in beneficijs ſimplicibus, ſed in curam animarum habentibus dumtaxat. n.41.

Rectori impedito perpetuò, ſeu etiam imperito, atque illiterato, ordinarius poteſt dare coadiutorem temporalem, non perpetuum, nec cum futura ſucceſſione. n.42.

Rector inutilis effectus, atque ſenio impeditus, non eſt probandus ſuo beneficio. ibid.

Coadiutori Rectoris impediti aſſignanda eſt certa congrua pro victu de fructibus beneficij. n.43.

Intellectus ad text. in c. tua nos, de clerico ægrotan. miniſtr. traditur. n.44.

Coadiutor poteſt dari Parocho exempto propter identitatem rationis. n.45.

Parochus cui ex impedimento vel imperitia datur coadiutor, non excuſatur à reſidentia. n.46.

Trident. ſeſſ.21. de reform. c.6. verba recenſentur. num.47.

Coadiutoris deputatio, etiā facta iudicialiter, non ſuſpenditur per appellationē ſubſequutā. n.48.

Quod intelligitur quoad effectum ſuſpenſiuum, quo dumtaxat caret hæc appellatio, non tamen deuolutiuum. n.49.

Impediti & imperiti à iure æquiparantur, cùm ex vtroque oriatur impedimentum officij exercitio. num.50.

Illiterati quales dicantur. ibidem remiſſiuè.

Coadiutoris temporalis de materia, qui ſint videndi. ibidem.

A congrua aſſignata œconomo & Vicario Eccleſiæ vacanti deputato an ſuſpendatur per appellationem ſubſequutam. n.51.

Text. in c. cū vos, de off. ordinarij expenditur. ibid.

Oeconomus an aſſignandus ab Epiſcopo durante lite inter patronos, vel in totum queat beneficium prouidere. n.52. remiſſiuè.

Vicarium idoneum poteſt Epiſcopus conſtituere Eccleſiæ vacantis habita notitia cum congruæ aſſignatione eius arbitrio, donec de Rectore prouideatur. n.53.

Cōgrua Vicario aſſignāda eſt ex fructibus eiuſdem beneficij, alijs tamen reſeruatis ſucceſſori. n.54.

Vicarius Eccleſiæ vacanti conſtitui non poteſt is qui in concurſu, vt magis idoneus electus eſt, ad idem beneficium, donec facta collatione nanciſcatur poſſeſſionem. n.55.

Quod procedit etiam in alijs beneficijs quibuſuis. ibidem.

Oeconomi deputatio, ſicut & eius congruæ aſſignatio non impeditur per appellationem ſequentem. n.56.

Tridentini verba ponderantur in d.c.18. ſeſſ.24. de reformat. ibidem. & Eccleſiæ vacanti deputatus vicarius etiam appell. pendente, non amouendus donec de Rectore prouideatur. ibid.

Congrua quantitas Vicario aſſignanda relinquitur Epiſcopi arbitrio, quod hodie limitatum eſt ex Bulla Pij V. n.57.

Congrua Vicarij temporalis quæ ſit per Congregationem Cardinalium arbitrata. n.58.

Vicario dato Eccleſiæ vacanti non ſunt aſſignandi omnes fructus beneficij, & quid ſi omnes ſint neceſſarij ad congruam portionem. n.59.

Congrua Parochis non poteſt eſſe minor centum ducatis. n.60.

Vicarius ad nutum amobilis non poteſt remoueri ante finitum anni ſeruitium. n.61.

Officiales ad nutum amobiles, non poſſunt abſque cauſa amoueri. n.62.

Decimarum condemnatio an recipiat appellationem ſuſpenſiuam. n.63.

A decimis ad tributa valet argumentum, quia illas reſeruauit Deus in ſignum vniuerſalis dominij. n.64.

Decimarum executio fit appellatione non obſtante. num.65.

Decimis ius aſſiſtit, & debitum eſt euidens, & ideo habent executionem paratam. n.66.

Decimæ, cùm clericis aſſignentur pro alimentis, dilationem non patiuntur. n.67.

Decimarum ſolutionis tarditas continet peccatum. num.68.

Diuini cultus aut animæ fauor non recipiunt appellationem, & excuſant ab attentatis. n.69.

Tributa & vectigalia Principi debita cur non ſuſpendantur per appellationem. n.70.

Multo minus debent ſuſpendi decimæ cùm ſint tributa animæ debita Principi cœleſti. ibidem.

Decima cùm proueniat à iure diuino, dicitur cibus domus Domini. n.71.

In decimis, cùm agatur de materia concernente animam, poteſt iudex Eccleſiaſticus incipere à præcepto de ſoluendo, & monitorio. n.72.

Monitorium pro ſolutione decimarum reſoluitur in ſimplicem citationem. ibidem.

In decimarum cauſis commiſſis ſuper appellatione non reſcribitur niſi cum clauſula (ſine retardatione ſolutionis decimarum.) n.73.

Conſuetudo ſeu præſcriptio non eſt legitima cauſa ad impediendam ſolutionem penſionis appellatione pendente. n.74.

Exemptionem habitam à Papa, aut legitimam compoſitionem allegans, ſi ſuper illa non audiatur in cauſis decimarum, poteſt licitè appellare. n.75.

Exemptio tributorum permittit appellationem ſuſpenſiuam. n.76.

Sententia inter duas Eccleſias contendentes ſuper iure decimandi admittit appellationem. n.77.

Et etiam quando collector decimarū excedit modum, quia etiam datur appellatio. ibidem.

Salarij famulorum ſententia non ſuſpenditur per appellationem à condemnato emiſſæ, quia res dilationem non patitur. n.78.

Salarij & mercedis famulorum cauſa ſummariè tractatur, atque etiam appellatio à ſententia ſalarij & mercedis non retardat executionem. num.79.

Salarium Aduocatorum, Procuratorum, & ſolicitatorum an recipiat appellationem ſuſpenſiuam. n.80.

Sententia lata pro ſolutione ſalarij, & mercedis famulorum, tunc meretur executionem non obſtante appellatione ſi petatur à paupere, ſecus ſi à diuite. n.81.

A taxatione mercedis non datur appellatio ſuſpenſiua, ſicut nec à ſententia alimentorum præſtandorum. n.82.

Qualitas diuitiarum & paupertatis in cauſa mercedis quoad admittendam vel reijciendam appellationem attendenda eſt. n.83.

In famulorum ſalario, & mercede operarij non attenditur qualitas diuitiarum, aut paupertatis, ſed indiſtinctè non admittitur appellatio. num.84.

Paupertas vti qualitas naturalis in famulis & operarijs præſumitur, qui vt plurimum neceſſitate coacti ſeruiunt. n.85.

Salarij & mercedis famulorum cauſa tractatur in die feriato ob honorem Dei, quia ſuccedit loco alimentorum. n.86.

Signatura iuſtitiæ ſolet reſcribere cum clauſula (ſine præiudicio legitimæ executionis, &c.) in cauſa mercedis promiſſæ, vel inter eum qui ſolet operas ſuas locare; & eum qui ſolet conducere. n.87. ſecus econuerſo. ibidem.

Si tamen ſignatura videat iudicem à quo exceſſiſſe in taxatione mercedis non conuentæ, ſolet pro parte admittere executionem, pro parte verò deferre appellationi. n.88.

Pro mercede conuentus ſi opponat, petentem eſſe diuitem, ac conſtet; ceſſabit priuilegium appellationis, imò admittitur quoad vtrumque effectum. n.89.

Mandoſ. & Flores de Mena reprehenduntur abutentes iuridico loquendi modo, dicentéſque, in cauſa ſalarij, & mercedis procedi ſummariè & executiuè. n. 90.

Probatio nulla quantumcunque liquidiſſima executionem habet. ibidem.

Cauſa eſt ſummaria, ergo eſt executiua, non eſt validum argumentum: à contrario autem benè procedit, eſt executiua, ergo ſummaria. n. 91.

Cauſa non ex eo quòd agitetur ſummariè, & ex aliqua iuris ratione ſententia exequatur, & non recipiat appellationem, dicetur executiua. num. 92.

Salarij materia remiſſiuè. n. 93.

Salarium petitur in iudicio, vbi lis mota fuit, & etiam in foro Eccleſiaſtico, quo laicus poteſt compelli pro ſalario litis ibi tractatæ. n. 94.

1 VT perfectiùs rem, quam ago, cogno-
ſcamus, illud eſt primitus ſupponen-
dum: quòd nulla vis fiet, ſi à noua aſſigna-
tione congruæ, & alimentorum, quam ordi-
narius facit rectori beneficij; minimè fuiſſet
appellationi interpoſitæ delatum. Enimuerò
iſthæc à iure minùs legitima reputatur, ſal-
tim quoad effectum ſuſpenſiuum, pluries
decreuit ſacrum Concil. Trid. *ſeſſ. 7. de refor-
mat. c. 5.* ibi, Addens inſuper, quòd ſi ipſi or-
dinarij etiam per idoneorũ Vicariorum de-
putationem, & congruæ portionis fructuum
aſſignationem omnino prouideant, vt ani-
marum cura nullatenus negligatur, & bene-
ficia ipſa debitis obſequiis minimè defrau-
dentur, appellationibus, priuilegiis, exem-
ptionibus quibuſcunque, etiam cum iudi-
cum ſpecialium deputatione, & illorum in-
hibitionibus in præmiſſis minimè ſuffragan-
tibus, *&c.*) *& eadem ſeſſ. 7. c. 7.* ibi, Vt per ido-
neos Vicarios, etiam perpetuos, niſi ipſis or-
dinariis pro bono Eccleſiæ regimine aliter
expedire videbitur, ab eis cum tertiæ partis
fructuum, aut maiori vel minori arbitrio
ipſorum ordinariorum portione, etiam ſu-
per certa re aſſignanda, ibidem deputandos,
animarum cura vtiliter exerceatur, appella-
tionibus, priuilegiis, exemptionibus, & cum
iudicum deputatione, & illorum inhibitio-
nibus quibuſcunque in præmiſſis minimè
ſuffragantibus, *&c.*) *& ſeſſ. 6. de reformat. c. 2. & ſeſſ. 25. c. 4. & eadem ſeſſ. 25. de reform. c. 25.*
quibus quidem omnibus illud eſt cautum,
vt in qualibet alimentorum, & congruę por-
tionis deputatione ordinarius appellatione
remota procedat. Quod confirmauit, & de-
clarauit etiam Pius V. in bulla 16. inter mo-
tus proprios *fol. 558.* declarat inſuper Frater
Manuel Rodriguez *in quæſtio. regul. tom. 1. q. 36. art. 2. fol. 346.* Nauarr. *conſ. 7. tit. de præ-
bend.* Cuch. *lib. 2. inſtit. maiorum tit. 13. num. 3.*
de qua congruæ aſſignatione vide multa per
Campanill. *diuer rubr. 7. c. 6. à n. 116.*

Quæ doctrina & iure communi compro- 2
batur, ex text. *in clem. 1. de iure patronatus*
diſponens, quòd Epiſcopus in aſſignationẽ
congruæ debeat procedere ſecundùm con-
ſcientiam, & velo leuato, ſemotis omnibus
exceptionibus, & allegationibus, & per con-
ſequens ſemota appellatione, iuxta ea, quæ
copioſè dixi 2. p. c. 8. à n. 104. cum ſeqq. quem
text. vltra gloſſam & repetentes ibi, latè &
elegãter ad hoc declarãt Lamber. *in tract. de
iure patron. p. 3. lib. 2. q. 10. art. 9. & 10. cum ſeqq.*
Rebuff. *in tract. de congrua portione quæſt. 4. per
totam.* Flores de Mena *in pract. quæſt. q. 14. n. 2.
lib. 1.* quod confirmatur, tum quia tractatur
de alimentis iudicis officio debitis, à quo- 3
rum præſtatione appellationem interpoſi-
tam non ſuſpendere longam ſeriem ſuprà
c. 1. fecimus. vt idem ſit in cauſa congruæ, 4
quæ alimentis æquiparatur, Guig. *de penſio.
q. 95.* & not. Doctores *in d. cle. 1.* & Rebuff.
*in d. tract. de congrua port. & de ſententijs proui-
ſiona. in præfatione num. 137.* & ex Flores de
Mena *ſuprà n. 4. ad fin.* tum etiam, quia vbi à
iure iudici eſt onerata conſcientia, appella- 5
tio regulariter non ſuſpendit, vt per glóſſam
in d. cle. 1. verbo oneramus. admodum in iure
laudata, & vt ſingularem pluries commen-
datam, firmant Iacob. Menoch. *de arbit. iudic.
lib. 1. q. 8. n. 40.* & idem cum Cou. & infinitis
aliis eam defendit *in d. tract. de arbit. lib. 1.
q. 70. per totam.* & cum Philippo Franch. &
aliis eam ſequitur Lancelot. Rober. *de attent.
2. p. c. 12. limit. 10. per totam.* & nos Deo dante
infrà hac p. 3. capite 13. à num. 36. & ſeqq. &
2. p. cap. 8. n. 122.

Quò pertinet congrua, ſeu alimenta præ- 6
ſtanda clerico ſuſpenſo à beneficio, quia pa-
riter à ſententia, ſuper illis lata, non admittit
appellationem ſuſpenſiuam, Rebuff. *in tract.
de ſentent. prouiſ. in præfat. n. 100.* Eſcacia *de ap-
pell. q. 17. limit. 7. n. 7. fol. 422.* illud ex eo com-
probant, quoniam præſtari iubetur per ſen- 7
tentiam prouiſionalem. ſed ab iis quæ per
ſententiam prouiſionalem expediuntur, non
datur appellatio ſuſpenſiua, vt ipſimet Do-
ctores ibi probant. & iterum idem Rebuff.
ibi *ſub n. 12. verſ. ſed ob id. & n. 20. q. 2. tomo 1.
fol. 225. & 226.* & iterum *num. 16. fol. 225.* &
idem Rebuff. *in tract. de ſentent. execut. artic.
vlt. gl. 1. num. 12. in fin. caſu 6. tom. 1. fol. 429.*
ſequitur Eſcacia *vbi proximè d. lim. 7. num. 3.*
Quod & idem dicimus de charitatiuo ſub- 8
ſidio impoſito per Epiſcopum pro ſuis ali-
mentis, & ſuſtentatione. Guigas *de penſio.
q. 95. n. 4.* Eſcacia *vbi proximè n. 6.* Ruginel.
tract. de appellat. §. 2. c. 3. n. 278.

Quam concluſionem & ad illud inſuper
extendi,

extendi, receptiſſimum eſt: quòd quando
9 in huiuſmodi noua portionis congruæ aſſi-
gnatione aliquis de exceſſu conqueratur, &
ab iſta exceſſiua taxatione appellatio prori-
puerit, ei ordinarius non deferens minimè
vim faciet, quæ executioni impedimentum
non eſt, cùm ſuſpenſiuo careat, vt probat ce-
lebris gloſſa *in d. cle. 1. verbo, oneramus.* quam
ſequuntur ibi Cardinal. Ancara. & alij. Lam-
berti. *vbi proximè art. 13.* Flores de Mena *d.
q. 4. num. 3.* & nos huius gloſſæ & Doctorum
immemores, eam ſic reſoluimus, diſputantes
contra Auenda. loquendo in alimentis, quod
idem eſt, ac in congrua. & fundamenta ibi
appoſita validiſſima ſunt, ſuprà c. 1. n. 50. &
10 an & quando ab exceſſiua liquidatione in
executiuis ſit licita appellatio, latè & accu-
ratè diximus infrà 4. p. c. 10.

Quando autẽ ſuper portione, & alimen-
tis antea & ab antiquo legitimè conſtitutis,
& huiuſmodi conſtitutionis, & aſſignatio-
nis virtute ſeu alimentarius, ſeu portiona-
rius alimenta annuatim, puta; percipit, con-
trouerſia oriatur: duo ſunt nobis caſus di-
ſtinguendi, ad quos Doctores non atten-
dunt, cùm ſit inter eos longum grandéque
diſcrimen, ſed promiſcuè vtriuſque doctri-
nis vtuntur, confundentes quidem reſolu-
tionem veram. Et primus ſit quando agitur
de reformanda, & diminuenda huiuſmodi
congrua, & alimentis legitimè conſtitutis:
aut agitur de augenda portione, & alimen-
tis iam ſemel deputatis, tanquam inſuffi-
cientibus. Declarabo.

11 Primo igitur caſu quãdo lis mouetur por-
tionario, vel alimentario ſuper reformanda,
& moderanda portione, quæ prætenditur
exceſſiua ex alicuius cauſæ motu, puta; quia
fructus rei ſibi aſſignatæ, iuxta *d. cap. 7. ſeſſ. 7.*
ibi, ſuper certa re, *&c.*) & Lamberti. *ſuprà art.*
14. creuerunt, & ſunt auctæ, vel quia alimen-
tarius aliunde bona nouiter quæſiuit, vel ob
alias iuris cauſas (quòd vtroque caſu, & cau-
12 ſa poſſe fieri alimentorum moderationem,
diximus ſuprà c. 1. in fi. & latè infrà 4. p. c. 7.
verſ. ex quo fonte fluit. quòd licet pater. nu.
88. vbi plures Doctores ad id citauimus) an
à ſententia lata in huiuſmodi iudicio appel-
lationi non deferens, vim faciet. In quo ar-
ticulo affirmatiuè reſoluo, ſcilicet; vim fieri.
13 enimuerò huiuſmodi appellatio hac in cau-
ſa reputari debet legitima, ſiue contra ali-
mentarium, ſiue contra ipſum, qui reforma-
tionem poſtulat, ſentẽtia lata ſit, ſecundùm
quod intelligendus Ceuallos *in contra com-
mun. in epiſtola ad Regem. num. 922.* in propo-
ſitum allegat Seſe *de inhibit. iuſt. Arag. c. 6. §.
2. num. 8.* & allegat Flores de Mena *d. q. 14.
num. 5.* qui quidem id non dicit, ſed ſolùm
loquitur in alio caſu, ſecundo puta; quando
agitur de augenda portione, non de dimi-
nuenda, vt mox videbimus, inter quæ ma-
gnam diſſimilitudinem reperies.

Hanc tamen doctrinam veram eſſe, con-
ſtat. nam ſi contra alimentariũ feratur, ſen- 14
tentia continens portionis moderationem,
ei ab ea iuſtiſſimè permittitur appellatio ſu-
ſpenſiua, cùm in cauſa alimentorum contra
ipſum lata eſt ſententia, nam priuilegium
(à iure, iuſtiſſimis & efficacibus rationibus
inductum) non tardandæ executionis ſen-
tentiæ ſuper congrua, & alimentis, proce-
dit, quando in ipſa ſententia præſtari iube-
tur, & aſſignatur, ita vt in eius ſit fauorem
dumtaxat introductum, quia tunc viget ra-
tio, propter quam prohibita eſt appellatio,
ne ſcilicet fame pereat, *&c.* vt eſt videre ex
his, quæ lõga ſerie firmauimus hoc in c. præ-
ſenti, & præcedenti. ac propterea quando
contra illum, congruam, & alimenta peten-
tẽ, lata eſt: poteſt licitè ab ea appellare quo-
ad vtrunque effectum. aliàs quod eſt in eius 15
fauorem inductũ, retorqueretur in odium,
contra text. *in l. quod fauore. C. de legib.* & cùm
ceſſet ratio, ceſſare debet etiam diſpoſitio,
vt in propoſito dicit Bald. nouel. *in tract. de
dolo, ſpeciali 7. in fi.* Angel. *in l. fin. ff. de appella.
recip.* Surdus *de alimen. tit. 8. priuileg. 60. num.
250. ſeqq.* & diximus ſuprà cap. 1. quod eſt
generale verum in omnibus caſibus, quibus
in fauorem alicuius inducta eſt appellatio- 16
nis prohibitio, vt intelligatur, quando pro
eo lata eſt ſententia, non tamen quãdo con-
tra, vt docuit idem Angel. *in l. quiſquis. C. quo-
rum appel. non recip.* dicens, quòd etſi non ap-
pelletur à ſententia lata in iudicio, *l. fin. C. de
edicto diui Adri.* tamen fallit, quando iudex 17
pronunciat contra actorem, puta; non eſſe
mittendum, vt tunc permittatur appellatio
ei. Et inquit Iacobin. *ibi num. 10.* hoc eſſe ſtu-
pendum & elegãs dictum, & ſe quoque ob-
tinuiſſe in practica. idem voluit Zuchar. *ibi
num. 443.* Tiraquel. *in tractatu le mors ſaiſit
p. 6. declaratione 6. n. 3.* Dueñas *in Regul. 44. in
prima fallen.* Cæſar Contard. *in repetitione l.
vni. C. ſi de momen. poſſ. fuer. appella. in 1. limi. &
in limi. 17. num. 4.* Menoch. *in tract. de adipiſ.
poſſ. rem. 4. num. 876.* quo caſu ſi appellatio
eſſet prohibita, foret contra priuilegium ali-
mentorum, fuiſſétque exequi ſententiam
ad fauorem negantis illa, huiuſmodi priui-
legio carentis, de quo exactè infrà cap. 4. à
principio, vbi quamplures doctrinas repe-
ries in comprobationem.

Si autem in huiuſmodi iudicio reforma-
tionis portionis, & alimentorum conſtitu- 18
torum iam in fauorem cõgruarij, & alimen-
tarij fertur ſententia, qua locum non eſſe re-
ductioni

ductioni & diminutioni,declaretur,eſt pari-
ter aduerſario permittenda appellatio ab ea,
quoad vtrunque effectum , nec iſta appella-
tio obeſt,nec obeſſe poteſt congruario, nam
cùm iam ante litem motam, & ab antiquo
ſibi eſſent conſtituta alimenta, in quorum
perceptionis poſſeſſione eſt annuatim vel
diatim, eademmet lite & appellatione pen-
dentibus potiri licet, nec eſt interim eius
commodo,& fructibus priuandus, text. *in l.
1. ff. nihil nouari appel. pen.* ibi, integer enim
ſtatus eſſe videtur prouocatione interpoſi-
ta.) *cap.1.vt lite pendente. l. ſciendum §.penult.
ff.qui ſatiſdare cogan.* gl. *in l.Imperatores. §. fin.
verbo,aduerſario.ff. de appel.* Cardin. *in cle.2.2.
oppoſitione,vt lite penden.* Roma.*conſil.37.viſo
puncto,in fi.*Decius *in conſil.97.in caſu.& conſ.*
103 *.in cauſa in princ.lib.1.* Lancelo.*de attenta.
2.p.cap.4. de attenta.lite penden. num.15.* quia
19 continuans ſuam poſſeſſionem lite, & ap-
pellatione pendente, non dicitur attenta-
re,Rota *deciſ.10.aliàs 89.nota,quod vbi,de ap-
pell. in antiq.* nec tunc ea quis eſt priuandus.
Rota *deciſ.24.aliàs 615. nota quòd licèt, de do-
lo.in antiq.* Pariſius *conſil.38. num. 3. lib.1. &
conſ.106.num.4.& 5.volum.4. & conſ.39.n.2.
& conſ.105.num.33.volu.1.* Mandoſ. *ſuper re-
gul. de ſubrog. quæſt.8.num.4. & in tract.de in-
hibit. q.23.* in cuius doctrinæ comprobatio-
nem multa ſpecialia exempla adducit Lan-
celo.*de attenta.2.p.cap.12.limi.26.*quapropter
cùm congruarius continuans ſuam poſſeſ-
ſionem fruatur ſuis antea deſignatis alimen-
tis,ceſſat ratio periculi, & famis.quibus eui-
denter apparet à ſententia lata in iudicio re-
formationis,& moderationis alimentorum,
& congruæ iam conſtitutæ contra quemli-
bet litigantium prolata, appellationi inter-
poſitæ, niſi iudex deferat, violentiam mani-
feſtam committet.

20 Et quando penſionarius eſt in quaſi poſ-
ſeſſione,ſi ſuper reformatione,aut nullitate,
& extinctione ipſius, etiam ſi contra illum
lata ſit ſententia prima, non impeditur poſ-
ſeſſione illa vti poſſe,& penſionem exigere,
adeò vt tunc reſcribitur cum clauſula (ſine
retardatione ſolutionis penſionis) quia ex-
pectantur tres ſententiæ conformes ad hoc,
vt ille non poſſit penſionem exigere, latè
poſt alios Mareſcot. *variar.reſol.lib.1. cap.21.
n.6.* Staphileus *de liter. iuſt. §. imprimis n.84.*
Guigas *de penſio.quæſt.35.num.9.* Couarr. *va-
riar.reſolu.lib.2. cap.1. num.9. in fi.* Caſſiador.
deciſ.10.num.8. de reſcrip. Æguid. *deciſ.41. &
deciſ.225.* Caſſiador.*deciſ.8.num.5.de reſcript.*
Puteus *deciſ.426. num.2. lib.2.* optimè Rota
deciſ.43.p.2. diuerſor. & fuiſſe reſolutum per
Rotam in vna Nouarien. decimarum 11.
Decembris 1573. coram Blancheto. & in
vna Brixienſ. penſionis 15.Martij 1599. co-
ram Penia teſtatur Mareſcot. *d. c.22. num.7.*
plurimos Doctores citat, & bene proſequi-
tur Marqueſſa *de commiſſio.4.p.cap.14.el 2. à
num 5 .& ſuprà à num.42.*

Pariformiter & idem etiam ex eiſdem ra- 21
tionibus erit determinandum in ſententia
lata ſuper reformatione alicuius penſionis
iam ex antiquo conſtitutæ ſuper beneficio,
ſiue fuerit reſeruata pro alimentis, ſiue quia
reſignauit quis beneficium, ſecundùm quæ
dicit Guigas *de pen.quæſt 95. num.2. & 3.* &
ſic quando ad reformationem actum eſt, ex
eo, quòd fructus ad minorem quantitatem
ſunt redacti, vel ob alias iuris cauſas, contra
quemlibet lata ſententia, ab ea erit conce-
denda appellationis delatio. vt in terminis
tradit Guigas *d.quæſt.95 ſub num.6.* maximè,
quia tunc agitur via ordinaria. Ceuallos *in
contra commun.in epiſto.num.922.*vbi ad id al-
legat Seſe *de inhibi iuſt. Arago.cap.6.§ 2.n.8.*
dicentem hunc eſſe caſum violentiæ,vt ipſe
aduertit,quod tamen intelligo, quãdo prin-
cipaliter eſt actum ad penſionis reformatio-
nem ex dicta ratione,ſeu alia qualibet: non
tamen quia rectoris portio & congrua eſt
inſufficiens,vt ſtatim declarabo.

Ex his conſtat, non eſſe audiendum Ce- 22
uallos vbi proximè citato loco, tãquam ſibi
contrarium, qui quidem *ſub num 921.* dixit,
quòd quando agitur lis ſuper reformatione
alimentorum ab antiquo cõſtitutorum, eſſe
licitam appellationem, at verò *in num.915.*
dixit, quòd quando lis vertitur ſuper mo-
deratione congruæ ab antiquo conſtitutæ,
vt Epiſcopus appellationi deferre non te-
neatur, quid enim quæſo aliud eſt congrua
rectori conſignata, quàm alimenta? inter ſe
non differunt niſi tãquam genus & ſpecies,
imò eiſdem regulis promiſcuè ſubmittun-
tur, & pariter in his prohibetur appellatio
propter vnammet rationem, quæ vtroque
caſu militat, vt & nos probauimus in toto
hoc capite, & ipſe etiam agnoſcit, & meritò
congruam paſſim vocat alimenta; Si igitur
immò de ratione, & reformatione alimen-
torum admiſit appellationem, cur contra-
rium dicit in reformatione cõgruæ, ab anti-
quo pariter conſignatæ: maximè quia citat
ad hoc vltimum Flores de Mena *in d. q.14.
num.3.* qui quidem id non dixit in reforma-
tione, & diminutione congruæ, ſed ſolùm
quando agitur ad augendam eandem, tan-
quam inſufficientem,qui eſt caſus diuerſus,
vt mox videbimus.

In ſecundo autem caſu principali, quan- 23
do agitur ad augmentum congruæ ex anti-
quo conſtitutæ, vt puta; quando rector ex
aliqua iuſta cauſa dicit, non eſſe congruam
ſufficientem

ſufficientem ad eius commodam, ſuſtenta-
tionem, & hac de cauſa petit penſionem re-
formari, cauſatiuè ſcilicet, & incidenter,
quo caſu ſi ordinarius ſententiam tulerit,
qua auget congruam,& per conſequens mi-
nuit penſionem, in augmento, ab hac ſen-
tentia penſionarius appellans non erit ad-
mittẽdus, nec eius appellatio obſtabit,quo-
minus ſententia ipſa in augmẽto nouo exe-
cutioni mittatur, ſicut & in principali, nec
tunc non deferens ordinarius vim faciet.

Et ad hanc opinionem iuſtè moueor; pri-
mò, ex celebris gloſſæ determinatione *in
clem.1.verbo,oneramus,de iure patrona.* docen-
te, quòd ſi ſit contentio ſuper congrua por-
tione ab antiquo aſſignata, quæ à Rectore
allegatur minùs ſufficiens, nec ex ea poſſit
ſuſtentari competenter,& Epiſcopus iuſtam
iudicans petitionem augendo congruam,
maiorem aſſignet, & ab huiuſmodi aſſigna-
tionis augmento contigerit appellari, Epi-
ſcopus minimè tenetur deferre appellatio-
ni,quoad effectum ſuſpenſiuum,quia eſt ſibi
onerata conſcientia, &, ex aliis rationibus
per eam, quarum ſuprà meminimus, quam
quidem gloſſam noſtrum caſum determi-
nare, videtur.

24 Secundò & pro hac parte,fortiſſimum,&
indiſſolubile facit fundamentum, nam pri-
uilegium tollendæ appellationis in cauſa ali-
mentorum,non ſolùm procedit, quando ex
integro ipſa alimenta petuntur; verùm etiã,
quando aliqua eorum pars dumtaxat, puta;
habitatio, veſtitus, vel quando cùm ſibi ne-
ceſſaria ſint centum, præſtentur ſexaginta,
& agat pro aliis quadraginta, quæ ſibi defi-
ciunt,ita vt ab hoc augmento pariter ſit pro-
hibita appellatio ac in toto,iuxta text.diſpo-
ſitionem Vlpiani,*in l.cùm ij.in prin.ff.de tranſ-
actio.* & probant in expreſſo Paul. Caſtren.
ibi. n. 5. Corduba à Lara *de alimentis in §.ſi
vel parens n.30.* Surd.*eodem tract.tit.8.priuil.
60.n.....* & nos adnotauimus ſuprà cap.præ-
cedenti in prin. in 2. declaratione n.7. ergo
pariformiter dicendum eſt in noſtro caſu, in
quo ſi non appellatur à conſignatione to-
tius congruæ, vt ſuperiùs probauimus, ita
nec ab eius parte augmentata,quia idem ar-
gumentum eſt de parte quoad partem,quod
de toto quoad totum. *l. quæ de tota ff. de rei
venditione.*

25 Tertiò corroboratur mea opinio. nam
augmentum regulatur ſecundùm naturam
ſui principalis, & idem eſt de vna ad aliud
argumentum. *l. ſi ex toto, & l. quòd in rerum.
§.ſi quid poſt.ff.de lega.1.* & ideo augmentum
dotis iiſdem priuilegiis,& regulis iudicatur,
quibus ipſa dos. *l.inter ſocerum, §.cùm inter.ff.
de pactis dotalib. l.etiam. C. de iure dotium.* vbi
Bald. *ibi in 2. not.* Aretin. *in l.ſi in teſtamento
ff.de vulgari.* Iſſ.*in rubrica ff. ſolut.matrim.col.fi.*
Natta *conſil.253.n.4.* late Rolan. *in tract. de
lucro dotis quæſt.100.* ſed hæc conſignatio ali-
mentorum & congruæ illam habet natu-
ram,& priuilegium; vt appellatio careat ſu-
ſpenſiuo: ergo & in augmento eorum idem
debemus confiteri priuilegium.

Quartò corroboratur hæc pars ex illa ce-
lebri doctrina Cyni *in l. ſi quis ex conſenſu. C.
de Epiſcopali audien.* docentis: quòd ſi à ſen-
tentia lata ex iuriſdictione ordinaria, non 26
poteſt appellari: pariter nec poterit appella-
ri à ſententia lata ex iuriſdictione proroga-
ta, vt tenent gl.& Doctores *in c.penult.de off.
delegat.*& quòd à ſententia iudicis prorogati
appellari non poſſit; quando aliàs ab eius
ſententia appellari non poteſt, tenet in ſpe-
cie B. *in l.Epiſcopali. C. de Epiſcopali audientia.*
Angel. *in l.1. 2.col.ff. de iudicijs.* poſt Cynum
in d.l. ex conſenſu. idem firmans ſequitur Iſſ.
*in l.ſi quis aduerſus C. de precibus Imperat. offe-
rend.* vbi ſubdit, eſſe diligenter notandum,
quando ſi propter dignitatem perſonæ non 27
poteſt ab eius ſententia appellari, vt proce-
dat etiam ſi ex prorogatione, vel ex com-
miſſione partium ipſa ſententia feratur, per
text.*in d.l.Epiſcopali.* & ibi allegat Angel. *vbi
ſuprà*, & ita ſequitur conſulendo Decius *in
conſ.3.& in conſ.25.* & ita fuiſſe iudicatum in
conſilio Neapolitano, teſtatur Thom. Gra-
maticus *in deciſ.9.per totam.* & ad id mouen-
tur Doctores ex doctrina ſuperiori funda-
mento adducta, vt idem ſit iudicium de
augmentato,quod de ipſo augmento:& quia
iſta iuriſdictio prorogata,& augmentata non 28
eſt diuerſa à prima, ſed eadem extenſa, vt in
precario dicitur,ex text.*in l.ſed & ſi manente
ff.de precario.* & in iuriſdictione prorogata
probat *l.meminiſſe ff.de off.proconſul. & legati.*
ergo & in augmento portionis appellatio
prohibita intelligitur,ſicut & in augmenta-
ta congrua.

Nec huic inconueniens eſt illa qualitas
reformationis penſionis, quæ ſimul concur- 29
rit in ſententia cum ipſius congruæ, & ali-
mentorum augmento, quaſi illa permittat
appellationem, vt ſuprà diximus. quoniam
hæc mixtura accidit in conſequentiam, &
incidenter,puta; nam cùm demus augmen-
tum neceſſarium, conſequenter inducitur
diminutio in eadem penſione, etiam ſi nihil
in ſententia de penſione tractetur. quamuis
enim ſententia ſit ſtricti iuris, ex vi tamen 30
attractiua, continens vnum, indiſtinctè tra-
hitur ad aliud, ſine quo illud vnum, ſuper
quo lata eſt, non poteſt ſortiri effectum, vt
dicit Angel. *conſil.257.ſub n.6.* quem ſequi-
tur Rota *deciſ.150.n.1. 1.p. diuerſor.* vbi *n.2.*

 dicit,

dicit, non ſolùm procedere in ſententia, ve-
rùm & in libello, ex his quos allegat, maxi-
mè, clericus ſiquidem, qui de augenda por-
tione incongrua inſufficientéque, nec cor-
reſpondente vitæ humanæ neceſſitati, agit,
accipiet ſupplementũ aliunde, etiam ſi non
ſit de penſione deductum, & ſic cauſatiuè, &
31 acceſſorium ei præiudicium generatur, cùm
principaliter tractetur de congruæ augmen-
to, & ſemper attendimus quod principaliter
agimus. *l. de vnoquoque ff. de re iudic.* & cùm
congruæ augmentum ſit cauſa diminutio-
nis penſionis, ipſius ſolam naturam, & qua-
32 litatem attendimus, quia ius potentiùs ope-
ratur in cauſa, quàm in cauſato, *c. 1. de reli-
quijs & vener. Sanct.* Paul. Caſtren. *conſil.* 129.
vol. 1. & plus influit cauſa in ſe ipſa, quàm
in cauſato, & attenditur potiùs quàm exer-
citium actus. Feli. *in c. auditis num.* 20. *de præ-
ſcriptio.* deciſio Genuenſis 128. *n.* 2. & eſt text.
in l. nauis onuſtæ, in 1. *reſponſo ff. ad l. Rhodiam
de iactu.* nam quando quid eſt propter aliud,
potentius eſt in cõſideratione illud, propter
quod eſt. *l. & ſi non ſunt claui* 21. *§. perueniа-
mus. ff. de auro & argento lega. l. tempus* 29. *ff. de
re iudic.* & ſic ſuccedit à nobis ſatis compro-
33 bata doctrina ſuprà 2. p. cap. 7. quòd quando
in ſententia concurrunt duę qualitates con-
trariæ, vna permiſſiua appellationis, alia pro-
hibitiua, & vna eſt alteri acceſſoria, hæc ſuæ
principalis ſequatur naturam, in cuius com-
probationem elegantes doctrinas adduxi-
mus à n. 101. cum ſeqq. in d. c. 7.

Et etiam ex alia doctrina, quam pariter
ibidem deſcripſimus à n. 45. & ſeqq. quòd
34 quando dictæ qualitates cõtrarię, æquè prin-
cipales concurrunt circa vnum, & idem in-
ſeparabile, & indiuiſibile, qualitas prohibi-
tionis præponderet, & quando iſthæc duæ
qualitates forent æquè principales (quod ne-
gamus) cùm concurrant circa rem inſepara-
35 bilẽ & indiuiſibilem. ſiquidem ex augmen-
to congruæ reſultat tacitè diminutio & re-
formatio penſionis, & non poſſumus dare
executionem in augmento, quod non de-
mus etiã executionem in diminutione pen-
ſionis, nec poſſumus dare appellationem ſu-
ſpenſiuam à reformatione, quæ non opere-
tur in congrua contra ſuam naturam, quia
generatio vnius, eſt migratio alterius, & ſic
cùm vnaquæque qualitas non poſſit operari
in ſua natura abſque præiudicio alterius, ne-
gatiua ſola præualet, vt in d. c. 7. latè proba-
uimus, ad cuius fundamenta te remitto, in
2. p. ſuprà à num. 45. cum multis ſequenti-
bus, vbi articulus iſte ſatis per diſputatio-
nem luceſcit.

36 Quæ ſententia ita tenẽda eſt in hac quæ-
ſtione, licèt Flores de Mena *in pract. quæſt.
q.* 14. eam tetigerit, & contrariæ videatur
adhærere *num.* 5. nullo ad id adducto funda-
mento, ſed tãtùm allegat Rebuffum & Gui-
gant. *de penſ. d. quæſt.* 95. *circa finem*, qui tamen
in noſtra quæſtione nihil loquitur, ſed tra-
ctat tantùm, quando agitur de reformatio-
ne penſionis ex aliqua cauſa, quo caſu fa-
teor appellationi locum eſſe: vt ſuperiùs di-
ctum eſt: non tamen loquitur, quando agi-
tur propter augendam congruam, tanquam
inſufficiẽtem ad reformationem penſionis,
quæ eſt noſtra quæſtio. Sed adhuc non ac-
quieſcens ipſe Flores prædictæ opinioni, di-
cit *num.* 12. quòd ſi congrua ab antiquo re-
ctori aſſignata, per tractum temporis ita fa-
cta eſſet exigua, vt ipſe magnam inopiam
pateretur, per viam prouiſionis ſibi deberet
decerni cõgrua ſufficiens. imò & ſi aſſigna-
ta per ſententiam non eſſet exceſſiua, poſſet
iudex appellationi non deferre quoad effe-
ctum ſuſpenſiuum. Illum etiam ſequitur ni-
hil addito Ceuall. *in contra comm. in epiſtol. ad
regem num.* 923. ſed adhuc ille vir agnoſcens
ſimilem reſolutionis imperfectionem, illam
terminandam iudicis arbitrio relinquit. At
mehercle ſi noſtra fundamenta conſidera-
ret, quæ aperti iuris regulas demõſtrant: non
ita inconſtanter reſponderet, ſed conniuen-
tibus oculis noſtræ huic acquieuiſſet, maxi-
mè cùm fundamentis, quæ aduerſus ſuám
vrgebant, ab eo ibi adductis minimè ſatisfa-
cit, nam illa doctrina, qua ille omnibus ſatis-
facit; nempe: in hoc caſu agi ad reformatio- 37
tionem penſionis iure actionis, non officio
iudicis; minùs vera eſt, quando agitur ad re-
formationem hac de cauſa, ſcilicet; quia tra-
ctatur de augenda congrua exigua; etenim
pariter Prætor in ſupplemento alimẽtorum
interponit officiũ ſuum, & ſic in parte ſicut
& in toto, vt probat text. *in l. cum ij, in princ.*
ibi, eiuſdẽ prætoris notio erit, *&c.*) *ff. de tranſ-
actionibus*, & probant Doctores, qui affirmãt
in parte alimentorum petitæ appellationi
non eſſe deferendum, quorum nos paulo
antea mentionem fecimus; quod procedere
minimè potuiſſet, ſi non officio iudicis, ſed
iure actionis peteretur, ex his, quæ dixi cap.
præcedenti ad vltimã declarationem n. 13.
maximè cùm caſu hoc nullo modo poteſt
conſiderari cauſa, vnde prouenire poſſit Re- 38
ctori ius actionis, nec ex Bulla reſeruationis
penſionis, ex illa clauſula (dummodo cen-
tum remaneant pro Rectore, *&c.*) hoc indu-
citur, cùm illa potiùs in fauorem Rectoris,
& ad maiorem confirmationem, & corro-
borationem ſui iuris ſit inducta, non autem
innouando officium iudicis à iure conceſ-
ſum, quod erat Rectoris, ex his, quæ latè cir-
ca innouationem officij iudicis diximus ſu-
prà

prà cap. præcedenti. nec Rectoris iuri quid-
quam clauſula detrahit, cùm imò ſit in eius
fauorem appoſita, faciũt expreſsè dicta cap.
præced. à num. 35. vbi quòd ex hac ratione
officium iudicis, non amittit ſuum priui-
legium.

39 Et aduerto, quòd ea, quæ hucuſque dixi-
mus, nempe; appellationem ſuſpenſiuo ca-
rere, nec vim fieri, ſi interponatur ab aug-
mento congruæ, etiam ſi ex eo reſultet re-
formatio penſionis: multo fortiùs procedit,
& habet locum in augmento petito in ali-
mentis, quando inſufficientia allegantur ex
aliqua iuſta cauſa; puta: quia decreuerunt
fructus, vel aucta eſt familia, quia tunc poſſe
peti alimentorum augmẽtum, etiam ſi filius
priùs factã taxationem approbaſſet, & con-
40 ſenſiſſet, quia ſemper in hac materia intelli-
gitur rebus ſic ſtantibus, vt elegãtiſſimè po-
tes videre per Rotam *deciſ.* 431. in nouiſſi-
mis recollectis per Farinacium (vbi alias ra-
tiones adducit ad petendum augmentum
hoc) de quo latè Marqueſſ. *de commiſſ.* 1. *p. c.*
18. *à num.* 88. Palacius Rubeus *in rubr. de do-
na. inter. not.* 3. §. 23. *num.* 7. *fol.* 354. Surdus *de
alimen. tit.* 5. *quæſt.* 7. *num.* 59. Albert. Brunus
in tractatu de augm. concl. 12. *num.* 5. Gratian.
diſcepta. foren. tomo 2. *cap.* 237. *num.* 5. latiùs di-
xi infrà 4. p. c. 7. verſ. ex quo fonte fluit, quòd
licèt Pater. à num. 88. *&c.* ex his quæ dixi-
mus in ſecundo vſque ad quartum funda-
mentum, quia tunc hæc qualitas negatiua
appellationis adeſt ſola in ſentẽtia aſſignan-
te augmentum abſque alia, quæ permittat,
& dictet oppoſitum, & ſic nihil mirum, vt
ſua qualitas liberè operetur appellationem
41 impediendo. Et vnum te admoneo, vt con-
gruæ aſſignatio locum non habet in ſimpli-
cibus beneficiis, quia cùm clericus tunc non
ſit adſtrictus ad onus curæ, ceſſat cauſa, &
fundamentũ præſtationis, & ſolutionis con-
gruæ, quod eſt neceſſitas, & onus curæ, vt
tenet Rebuff. *in tract. de congrua portione n.* 68.
& tenet Rota *deciſ.* 83. *nu.* 21. *p.* 2. *diuerſorum*,
vbi aliam allegat, & teſtatur ita pluries de-
cidiſſe Rotam; & faciunt quæ Surd. *de ali-
ment. tit.* 1. *q.* 6. *per totam.*

Accedendo iam ad tertiam capituli par-
tem, ſcilicet, an ab aſſignatione congruæ ab
ordinario facta coadiutori dato Rectori im-
pedito, vel imperito, & illiterato, appellatio-
ni non deferens, violentiam facere dicatur
42 ordinarius. In quo illud ſupponamus, quòd
Rectori beneficij, qui ſenio, morbo perpe-
tuo, & incurabili factus eſt inutilis, & im-
peditus miniſtrare, ſuúmque officium exer-
cere, adhibetur coadiutor temporalis, non
perpetuus, nec cum futura ſucceſſione, qui
pro eo miniſtret, & officium exerceat; non
tamen hic clericus ſuo eſt priuandus bene-
ficio, ſed ſolùm ei dictus coadiutor dandus 43
eſt, dando ei ſtipendium, & congruam por-
tionem pro victu de fructibus beneficij. Ita
probat text. *in cap. de Rectoribus. c. ex parte. c. ſi.
de clerico ægrotante. cap.* 1. *eod. tit. in* 6. *c. petiſti* 7.
quæſt. 1. *c.* 1. *de ſupplen. negl. prælato. in* 6. & diſ-
ponit Concilium Trident. *ſeſſ.* 25. *de reforma.
c.* 7. Bonifa. *in c. cupien. de pœnis num.* 46. Sta-
phileus *de literis gratiæ tit. de modis prouiſionis
num.* 22. Rebuff. *in praxi tit. de reproba. benefi.
impetr. num.* 59. Corraſius *de bon.* 1. *p. cap.* 7.
num. 5. *&* 3. *p. c.* 6. *num.* 7. *&* 8. Lancelot *inſtit.
canoni. lib.* 1. *tit. de coadiutore* §. 1. *& vlt.* Nauar.
in cap. 1. *de cler. ægrotan.* Petrus Gregor. *ſynta-
gma. iuris tit. de beneficijs c.* 7. *num.* 13. & Suarez
5. *tom. de cenſu. diſputatione* 51. *ſeſſ.* 2. *ad fi.* Gon-
zal. *ad regul. de men. glo.* 5. §. 9. *num.* 31. Gamb.
de offic. legati lib. 5. *tit. de coadiuto. n.* 11. Eſcobar
de ratio. c. 28. *à num.* 26. quia reſpondent, præ-
cipuè Nauarr. Lancelot. & Suarez ad text. *in* 44
c. tua nos de clerico ægrotan. in illis verbis *ibi*, ab
adminiſtratione, & officio debeat remoue-
ri.) vt intelligatur amotio quoad exercitium
dumtaxat. quod & etiam poſſe facere Epi-
ſcopũ etiam in Parochis exemptis propter 45
identitatem rationis; firmant Zerola *in praxi
Epiſcopali p.* 1. *verbo parochia* §. 7. Hieron. Gon-
zal. *ad regul.* 8. *Cancel. vbi proximè num.* 29.
Pater Valeria. Regin. *in praxi fori pœnitentia-
lis lib.* 30. *tract.* 3. *num.* 172. Barboſ. *in remiſſ. ad* 46
Tri. ſeſſ. 21. *c.* 6. *n.* 1. qui cum Gonzal. firmat,
hunc Parochum etiam dato ei coadiutore
non excuſatur à reſidentia beneficij, addu-
cunt declarationem Cardinalium, & ab hu-
iuſmodi congruæ deputatione appellationi
quoad ſuſpenſiuum effectum minimè eſſe
deferendum, probat ex iuribus & rationi-
bus, quæ ad prin. huius capitis adduximus
in diſcurſu.

Et probatur etiam ex eo, quòd hodie in 47
ſacro Concil. Trid. *ſeſſ.* 21. *de reformatione c.* 6.
in hæc diſponit: Quia illiterati, & impediti
parochialium Eccleſiarum Rectores ſacris
minùs apti ſunt officiis, & alij, propter eo-
rum vitæ turpitudinem, potiùs deſtruunt,
quàm ædificant: Epiſcopi etiam, tanquam
Apoſtolicæ ſedis delegati, eiſdem illitera-
tis & imperitis (ſi aliàs honeſtæ vitæ ſint) co-
adiutores, aut vicarios pro tempore depu-
tare, partémque fructuum eiſdem pro ſuffi-
cienti victu aſſignare, vel aliter prouidere
poſſint, quacunque appellatione & exem-
ptione remota, *&c.*) & ex hoc decreto Rota
in vna Detucenſi Archipresbyteratus 16.
Nouembris 1594. coram Penna reſoluit: 48
deputationem coadiutoris, factam ab ordi-
nario vigore iſtius decreti, non eſſe attenta-
tam; etiãſi ſit exequuta poſt appellationem,
interpoſi

interpoſitam à ſententia eius, qui iudiciali-
ter proceſſit,*&c.* quam refert Nicolaus Gar-
49 cia *de benef.*4.*p.c.*5. *n.*9. qui *n.*10. ex declara-
tione ſanctæ congregationis aduertit, hoc
decreto tolli dumtaxat appellationem quo-
ad effectum ſuſpenſiuum,non tamen quoad
50 deuolutiuum.& quia cauſa imperiti vel im-
pediti aſſimilatur, quia ſunt caſus à iure
æquiparati,cùm ex vtroque impedimentum
oriatur exercitio officij, *c. niſi cum pridem, de
renuncia.c.illiteratos* 36.*d.cap.*1.38. *d.c. cum ex
eo, de electione in* 6. *c. quia frater* 7. *quæſt.*1. &
quales dicantur illiterati, vide latè Meno.*de
arbi.iudi.caſu* 425.*à num.*51. *& ſuprà fol.*584.
& de materia coadiutoris temporalis vide
ſupradictos omnes Doctores.

51 De quarta autem parte capituli tractatu-
rus,hoc eſt,de cõgrua œconomo, & Vicario
Eccleſiæ vacanti deputato,deſignata: an ab
ea appellationi interpoſitæ ordinarius vim
faciat, non deferens. pariformiter, quod &
in ſuperiori caſu terminãdum eſſe,moueor,
vltra ſupradicta, ex diſpoſitione text. cele-
bris *in c.cum vos,de officio ordinarij*,ibi,Frater-
nitati veſtræ mandamus, quatenus,ſi quan-
do in vacantibus Eccleſiis, in quibus Eccle-
ſiaſtica perſona præſentationem non habet,
vel quia perſonæ minùs idoneæ præſentan-
tur, vel alia de cauſa de iure, perſonas non
poteritis in eis inſtituere: appellatione re-
mota ponatis œconomos, qui debeant fru-
ctus percipere, & eos aut in Eccleſiarum
vtilitatem expendere, aut futuris perſonis
fideliter reſeruare, *&c.)* & idem quando in-
ter Patronos & Epiſcopum radix diſſenſio-
nis emergit, ex eodem text. & *l.*11. *tit.* 15.
52 *p.* 1. & an hoc vltimo caſu durante lite cur-
rat tempus, patronis datum ad præſentan-
dum, Epiſcopúſque debeat hunc œcono-
mum apponere, vel potiùs in totum proui-
dere, conſule Lapum *allegatione* 78. *quæſt.* 5.
*num.*15. Rochum de Curte *de iur.pat. verbo,
honorificum.num.*54. Zerolam *in praxi Epiſco.*
1.*p. ius patr. ad* 5. & charum mihi Perez de
Lara *in tract.de anniuer.& capella lib.*2. *cap.*9.
à num 37.vbi eleganter contra alios reſoluit
œconomum conſtituendum, multa elegan-
tia praxi in medium próferens.

53 Ex quo text.infertur ad Concil.Trid. *ſeſſ.*
24 *de reformatione c.*18. dum diſponit, quòd
Epiſcopus debeat ſtatim habita notitia va-
cationis Eccleſiæ, ſi opus fuerit, idoneum
in ea Vicarium cum congrua, eius arbitrio
fructuum portionis aſſignatione conſtitue-
re, qui onera ipſius Eccleſiæ ſuſtineat, do-
nec ei de Rectore prouideatur. Et idem ſta-
tuit Pius V. per motum proprium in confe-
rendis tranſcriptis verbis Concilij, & ita
etiam cenſuit ſancta congregatio Concilij
per quandam declarationem factam ad in-
ſtãtiam Capituli Toletani anno 1577. quam
ad literam refert Nicol.Garcia *de benefi.* 8. *p.
cap.*2. *num.*8. quæ ita ait, in verſiculo tertio:
Et in ſpecie ſtatim habita notitia vacationis
Eccleſiæ, & anteaquam vllum fiat examen, 54
conſtituat idoneum in ea Vicarium cum
congrua fructuum portionis aſſignatione,
reſeruatis reliquis fructibus iis quibus verè
debebuntur. hic autem Vicarius ſic poſitus
eiuſdem parochialis onera ſuſtinebit,donec
de Rectore prouideatur, *&c.)* qui quidem
Vicarius,& œconomus non poteſt conſtitui 55
is, qui in concurſu, vti dignior magis ab
Epiſcopo eſt electus ad beneficium,nec eius
adminiſtrationi ſe inſerere poteſt ante fa-
ctam collationem, vel ab ordinatio, vel à
Pontifice in reſeruatis, nanciſcatúrque eius
virtute, & capiat poſſeſſionem beneficij, ex
text.*in c.auaritiæ de electio.in*6.quod procedit
in quibuſlibet beneficiis,vt videre eſt ex his,
quæ latè per Garci. *vbi proximè à num.*21. *&
in p.*11.*c.vlt.dub.vlt. num.*216.

Et non ſolùm ab aſſignatione congruæ 56
appellari non licebit, ex ſupradictis hucuſ-
que, quia foret appellare ab alimẽtis;verùm
nec etiam ab ipſa Vicarij,ſeu œconomi con-
ſtitutione, *ex d.cap.cum vos de off.ordina.*quia
in ea viget periculum animarum, & ratio
propter quam à prouiſione principali Paro-
chialis appellatio non ſuſpendit,vt indicant
verba eiuſdem Concilij, & motus proprius
ibi, debet ſtatim habita notitia, *&c.)* quæ
celeritatem indicant, & ſupponunt pericu-
lum, cui vult per contrarium obuiare. Et
quoniam Concilium in illis verbis: debet
ſtatim,*&c.)*diſponit neceſſitatiuè Epiſcopo,
& appellatio in hoc caſu foret à iuris clari
diſpoſitione, & ab eo, quod fit ſecundùm
Canonicas ſanctiones,cui nullatenus eſt de-
ferendum,dicemus infrà ſuo loco Deo dan-
te cap.6. Et hanc deputationem non ſolùm
ei facere, licebit habita notitia vacationis,
& ante prouiſionem; verùm etiam poſt eam
factam, & pendente appellatione ab illa, vt
apparet ex d.Concilij decreto *ante ſi.* in illis
verbis loquendo de appellatione ab ea dicit:
Alioquin Vicarius, quem Eccleſiæ vacanti
antea Epiſcopus arbitrio ſuo ad tempus de-
putauit, vel forſan poſtea deputabit, ab eius
Eccleſiæ cuſtodia, & adminiſtratione non
amoueatur,donec aut eidem,aut alteri pro-
batus, & electus fuerit, vt ſuprà, ſit proui-
ſum, *&c.*) vide num.61. & 62. & ſic hoc eſt
innouatum, permiſſum à lege,quod non re-
uocatur, vt alibi dixi.

Quantitas autem congruæ conſtituendæ 57
Vicario perpetuo, vel temporali, qualis ſit,
Epiſcoporum arbitrio relictum eſt, vt appa-
ret

ret ex decretis Concilij Trid. ſuprà in prin.
huius capitis adductis, & quæ etiam in diſ-
curſu. hodie autem Pontifex maximus Pius
V. in bulla 16.inter motus proprios *fol.*558.
per quam reſtringitur iudicis arbitrium, à
quinquaginta vſque ad centum, in illis ver-
bis *ibi*,Ita ſe contineri, & arbitrari debere,vt
non maior centum, nec minor quinquagin-
ta ſcutorum annuorum ſumma computatis
omnibus, etiam incertis emolumentis, &
aliis obuentionibus,communiter percipi ſo-
litis,eis omnino aſſignetur,niſi Vicariis tem-
porariis ſolitum fuiſſet, plus aſſignari,ſiue in
quantitate, & quota fructuum pecuniáque
numerata, *&c.)* & ſecundùm hanc diſpoſi-
tionem eſſe hodie faciendam taxationem
huiuſmodi, aduertit Ceuallos *in contra com-
mu. quæſt. in Epiſtola ad Regem num.* 916. de
qua re latè poſt alios Campanil. *diuerſ. iur.
rub.*7.*cap.*6.*à num.*116.

58 Circa vltima autem verba motus proprij
ibi, niſi in Vicariis temporariis, *&c.)* quòd
etſi S. Congregatio ſuper illis verbis Conci-
lij Trid.*cap.*18.*ibi*,cum congrua eius arbitrio
fructuum portionis aſſignatione)ſic cenſuit:
duorum aureorum pro ſingulis menſibus
viſa fuit congrua portio.)tamen ibi dicit:Ite-
rum congregatio reſpondit, adhæc omnia
referenda ad congruam portionem, & ſti-
pendium arbitrio ordinarij, & ſumendam
ex fructibus percipiendis, niſi aliquæ perſo-
næ ſint iure obligatæ ad ſupplendum aliun-
de.)vide latiſſimè per Ioan.Hieron. Campa-
nil. *vbi proximè* per multos numeros & DD.

59 Ac ideo rectè reſpondit Nauarr. *conſ.*5.*de
off.ordinarij*, quòd Vicario parochiali Eccle-
ſiæ vacanti ſimpliciter dato, non omnes fru-
ctus, ſed congrua portio arbitrio ordinarij
iuſtè determinanda, debetur, nec Epiſco-
pus à principio poſſet omnes fructus eidem
aſſignare, niſi omnes eſſent neceſſarij, ad
congruam portionem. Nec prædicta decla-
ratio de duobus aureis tollit, quin ſi pro lo-
co, & tempore videatur plus neceſſarium
ad congruam portionem,quàm duorum au-
reorum,pro ſingulis menſibus aſſignari poſ-
ſit, cùm in hoc non poſſit dari certa regula,
omni loco & tempore, vt & bene dicit
Nicolaus Garcia *de benef.*9. *p. cap.*2. *num.*17.
& ſuprà, ab huiuſmodi autem taxatione fa-
cta per Epiſcopum quando ſit, vel non, ap-
pellationi deferendum,iam diximus ſurſum
60 num.9. in Parochialibus verò Eccleſiis con-
grua videtur eſſe centum ducati iuxta di-
ſpoſitionem Concil. Trid. *ſeſſ.*24. *de reform.
cap.*13. vbi dicitur, quòd penſio non conſti-
tuatur in beneficio parochiali, ſi eius valor
non excedat centum ducatos. Flamin.Pariſ.
*de reſig. lib.*6. *quæſt.*2. *num.*21. & ita commu-
niter in gratia, penſionis huiuſmodi benefi-
cij apponitur clauſula (dummodo remaneãt
centum ducati annuatim liberi pro Recto-
re, *&c.*) & vide declarationem Concilij ſu-
per d. cap.13. & quemadmodum liberi di-
cantur, vide Nicol. Garcia *de benefi. cap.*5. *à
num.* 372. poſt alios. quod tamen intellige
quando hæc congrua centum ducatorum
aſſignatur ipſimet Rectori dumtaxat, quia
de Vicario dic vt hactenus.

Illud obiter annotare potes, quòd Vica- 61
rius ad nutum amobilis, non poteſt amoue-
ri ante finitum anni ſeruitium, tenent Re-
buf.*in praxi benefi.lib.*2.*tit. de diſpenſatione, de
non reſiden.num.*18.*& tomo* 3.*ad ll. gallica. tit.
de mater.poſſeſſor.in benefi.art.*9.*gl.vnica in præ-
fatione.* Barboſ.*in remiſ. ad Tri. ſeſſ.*7.*cap.*7. *de
reform. num.*6. *fol.*20. Flores de Mena *variar.
reſolu.lib.*1.*quæſt.*10. *num.*34. Gutier. *de iura.
confirmat.*1.*p.cap.*58. *num.*19. Stepha. Gratia.
*diſceptatio.foren.cap.*167.*num.*22.*cum ſeqq.*qui
per totũ exactè tractat de aliis quibuſcum- 62
que officialibus ad nutum amobilibus ſine
cauſa non amouendis, ſed de Vicario depu-
tato parochiali, donec de rectore prouidea-
tur iuxta Conc.Trid.dic vt ſuprà dixi per il-
lud num.56.ad finem.

Accedit iam ſoluenda difficultas,in quin- 63
to loco huius capituli propoſita, à ſententia
lata in cauſa, & iudicio decimarum, appel-
lationi interpoſitæ an ſit deferẽdum.In quo
& ius & Doctores concordes inuenio.ſiqui-
dem text.*in cap.tua nobis* 26. *in ord. de decimis*
poſtquam comparauit, & fecit argumen-
tum à decimis ad tributa temporalia,dicens
etiam, decimas eſſe tributa egentium ani- 64
marum, quas Deus in ſignum vniuerſalis
dominij,ſibíque reddi præcipit, ſuas eſſe de-
cimas inquit,*in ſi.verſ.* Quoniam igitur pati
nolumus,vt Eccleſiarum, & clericorum iu-
ra præſumptione qualibet muniantur:man-
damus, quatenus omnes,qui ratione perſo-
narum, aut etiam prædiorum decimas Ec-
cleſiis, & clericis tuæ diœceſis exhibere te- 65
nentur, ad eas cum integritate reddendas
appellatione remota compellas, *&c.*) *c. deci-
mæ* 7. *quæſt.*1. & hanc doctrinam ex his iuri-
bus ſequitur Speculator *in tit.de appella.*§. *in
quibus verſ.*4.*à num.*5.& ibi *in additione* Ioan.
Andre. *& in d.c.tua nobis.* Alciatus *de iudicijs
tit.in quibus caſibus, & ex quibus cauſis appella-
ri poßit, ſub num.*4.arguentes, quòd cùm non
appellatur in tributis, nec à decimis, *l.abſti-
nendum, & l. ſi. C. quorum appella.non recip. l.
nulli. verſ. ſunt etiam C. eodem tit.c.ei qui.*§.*diſ-
finitiua,&* §.*quoties* 2.*quæſt.*6. Marant. *de ord.
iudi.*6. *p.tit. de appella. n.*293. ſequitur etiam
Socinus *in regul.*40. *fallen.*3. qui cum Bal.
quem refert, eodem vſus eſt argumento.
Nicel.

Nicel. tract. de concor. gloſſ. concord. 6. fall. 53.
num. 92 fol. 195. Rebuf. tract. de appella. art. 7.
gl. 2. num. 14. verſ. quartus. Gregor. Tholoſa eodem tract. 2. p. cap. 9. num. 2. gl. in cap. fi. in verbo
quoties 2. quæſt. 6. Federi. de Sen. conſ. 81. n. 5.
Rebuf. tract. de decimis quæſt. vlti. num. 21. latiſſimè & optimè Marqueſſa. de comiſſ. 1. p.
cap. 13. num. 9. 16. 17. & 27. fol. 157. qui n. 17.
66 dicit quòd decimæ habent exequutionem
paratam, quia illis ius aſſiſtit, & debitum eſt
euidens. Abb. in c. tua nobis num. 9.
67 Et quia decimæ aſſignantur clericis pro
alimentis, ideo dilationem non patiuntur,
ex dictis in c. præcedenti. & probat text. in cap.
decimas, in verſ. ſed tardius dare peccatum eſt.
16. quæſt. 1. cap. cum homines verſ. mandamus,
vbi gl. in verbo, fructibus, de decimis. Marqueſ-
68 ſa. vbi proximè num. 17. & quia cùm eorum
ſolutionis tarditas contineat peccatum, non
datur appellatio ſuſpenſiua, quia quando
69 verſamur circa fauorem animarum, aut cul-
tus diuini; appellatio non cauſat attentata.
Rota deciſ. 35. de appella. in nouis. Eſcacia de
appella. quæſt. 17. limi. 26. num. 1. Rebuf. tract.
de ſenten. prouiſional. in præfatione num. 37. &
ſub num. 38. in fi. 1. tomo fol. 229. Marqueſſ.
tract. de commiſſ. 1. p. c. 6. num. 78. fol. 78. & nos
alibi paſſim diximus.
70 Comprobatur inſuper, quia ſi in vectiga-
libus, & tributis Principi ſoluendis appel-
lans non auditur, l. abſtinendum, C. quorum
appell. non recipi. l. fi. eodem tit. gl. in c. tua nobis,
in verbo, tributa, de decimis. Speculator in tit.
de appella. §. in quibus num. 4. & 5. Angel.
Areti. in l. ſciendum num. 4. ff. de appella. recipi.
in regula 24. fall. 3. Nicell. tract. de concord.
gloſſ. concor. 6. fall. 17. num. 50. in fi. Maran. in
ſpecul. 6. p. actu 2. tit. de appella. n. 300. fol. 504.
Rebuf. tract. de appella. gl. 2. num. 4. Ruginel.
tract. de appella. §. 2. cap. 3. ſub num. 95. & ſeqq.
& n. 131. Proſper. Fari. in praxi crimi. q. 101.
limi. 5. num. 70. & omnes ſtatim citandi, ſed
decimæ ſunt tributa animæ debita principi
cæleſti, c. decimæ 66. 16. quæſt. 1. gl. d. c. tua nobis, verbo, tributa. ergo in illo pariter ſuſpen-
ſiua appellatio denegari debet. hoc argu-
mento vtuntur ferè omnes citati Doctores,
& Eſcacia de appella. quæſt. 17. limi. ſub num. 1.
meliùs Marqueſſa. de commiſſ. 1. p. c. 15. n. 9.
71 Et ideo cùm decimæ ſolutio à iure ſit di-
uino proueniens, vt probat text. in cap. 1. &
c. tua cum c. ſequenti de decimis, dicuntur cibus
domus Domini. c. reuertimini 16. quæſt. 1. di-
cit ex aliis Rebuff. 3. tomo commentar. titul. de
72 liter. oblig. artic. 6. glo. 2. num. 27. quòd iudex
Eccleſiaſticus poteſt incipere à præcepto de
ſoluendo, & monitorio, vt ſoluantur decimę
debitæ, quando agitur de materia concer-
nente animam vt in decimis, & idem dicit
Cardin. in cap. 1. de cauſa poſſ. & proprie. in cle.
2. q. 3. de iudicijs. & quòd regulariter hoc iu-
dicis Eccleſiaſtici præceptũ, & monitorium
reſoluitur in ſimplicem citationem. an au-
tem ab huiuſmodi monitorio expedito pro
ſolutione decimarum liceat appellari, vide
latè Mandoſ. in tract. de monitorijs quæſt. 57.
per totam, ad quem te remitto. quod in tan- 73
tum procedit, vt in commiſſionibus ſuper
appellatione à ſententia decimarum non re-
ſcribitur, niſi cum clauſula (ſine retardatio-
ne ſolutionis decimarum) latè Marqueſſa.
tractatu de commiſſ. 1. p. c. 15. n. 16. 17. & 35. fol.
158. & ſeqq. vbi latè.
Hæc tamen concluſio limitatur: vt pro- 74
cedat, quando is à quo petuntur decimæ, al-
legaręt conſuetudinem, ſeu pręſcriptionem,
vel aliam ſimilem iniuſtam cauſam, ex his
quas reijcit text. in d. c. tua nobis, quia tunc (vt
dictum eſt) appellatio non admittitur: ſecus 75
autem ſi allegaret exemptionem, habitam à
Papa, ſeu legitimam compoſitionem, quia
tunc ſi nõ audiretur in iſta allegatione, poſ-
ſet appellare. Ioan. Andr. in d. c. tua nobis n. 7.
& licèt Anton. de Butr. num. 7. Abb. num. 9. &
ita poteſt procedere, quod ex Anguiſ. conſil.
27. refert & ſequitur Ruginel. tract. de appel.
§. 2. ſub n. 256. tenet Eſcacia de appella. q. 17.
limi. 18. num. 2. & quòd quando verum eſt,
quòd adeſt exemptio à Papa, admittatur ap-
pellatio in cauſa decimarum ſuſpẽſiua, tenet
poſt Abb. in c. cùm non ſit, de appell. & Henric.
Boic. num. 8. & Butri. num. 9. Marqueſſa. de 76
commiſſ. 1. p. cap. 15. num. 35. prout etiam in
exemptione à tributis, quòd detur appella-
tio ſuſpenſiua, Eſcacia de appella. quæſt. 17. li-
mi. 17. num. 5.
Limitatur ſecundò dicta cõcluſio, vt non 77
procedat in ſententia lata inter duas Eccle-
ſias contendentes de iure decimandi, vt de-
clarat Ioan. Andr. & Butrius in d. cap. tua nobis, vterque num. 7. Eſcacia de appellationibus
quæſt. 17. limi. 8. num. 3.
Vltimò limitatur, vt non procedat, quan-
do collector decimarum excedit modum,
quia tunc ab exceſſu poteſt appellari, De-
cius in c. nouit. 43. limi. 10. num. 28. Eſcacia, vbi
proximè n. 4. quia nullus eſt caſus de mundo,
in quo propter exceſſum non admittatur
appellatio ſuſpenſiua; latè diximus infrà 4.
p. c. 3. per totum.
Cuius etiam farinæ eſt, quod in vltimo
loco huius cap. appoſuimus, quòd ſit dicen-
dum in ſententia lata pro ſolutione ſtipen-
dij, & ſalarij, famulorum, an ab ea appella-
tioni à condemnato propoſitæ, violentia 78
fiat, niſi deferatur. In quo non vim eſſe, af-
firmo, cum huiuſmodi appellatio non ſu-
ſpendat, quia res dilationem non recipit.
Probatur

Probatur Leuiti. c. 19. Non morabitur (in-
quit) opus mercenarij tui apud te vſque ad
mane.) & Deuteronom. 24. c. Non negabis
mercedem indigentis, & pauperis fratris tui,
ſiue aduenæ, qui tecum moratur in terra, &
intra portas tuas eſt, ſed eadem die reddes
ei pecuniam laboris ſui ante Solis occaſum,
quia pauper eſt, & ex eó ſuſtentat animam
ſuam: ne clamet contra te ad Dominum, &
reputetur tibi ad peccatum.) & probatur
Tobiæ 4. c. Quicunque tibi aliquid opera-
tus fuerit, ſtatim ei mercedem reſtitues, &
merces mercenarij tui apud te omnino non
remaneat.)
Ac propterea meritò dicunt Doctores;
79 quòd in cauſa ſalariorum proceditur ſum-
mariè, & ſententiæ in ea latæ, qua condem-
natur quis ad ſoluendum ſalarium famulis;
eſſe executionem faciendam, nec appella-
tioni ab illa eſſe à iudice deferendum, ita
elegantiſſimè probat Rebuff. in tractatu de
ſententijs prouiſiona. art. 3. gl. 7. & idem in tract.
de ſalarijs famulorum. gl. 7. ſequitur Azeued.
in l. fin. tit. 15. lib. 4. recopil. num. 38. Flores de
Mena in pract. quæſt. lib. 1. quæſt. 8. §. 2. num. 23.
& vltra eos idem probat Mandoſ. in tract. de
monitorijs quæſt. 59. Paz in praxi 4. p. tomo 1.
c. 1. num. 56. ſequitur Amador Rodrig. tract.
de executione cap. 1. art. 3. n. 24. & ſeqq. & ipſe
80 promiſcuè intelligit in ſalariis aduocatorũ,
procuratorum, & ſolicitatorum, apud quos
multa de materia ſalarij reperies. facit Ma-
goni. deciſ. Florent. deciſ. 12. Dominus, n. 11.
Quod tamen verum eſſe, cenſeo non ge-
81 neraliter, ſed quando petens mercedem &
ſalarium eſſet pauper, & non haberet, vnde
ſe alat, non aliter; ita pereleganter Rotæ de-
ciſ. 764. 1. part. diuerſorum, vbi dicit: Domini,
cum præſuppoſito, quòd Ioſephus eſſet pau-
per, non in genere, ſed eo reſpectu vt non
haberet, vnde ſe aleret; dixerunt cauſam
mercedis, de qua agitur; non fuiſſe appella-
bilem, &c.) & iterum ſub num. 2. Vnde ſi Io-
82 ſephus tempore petitæ mercedis erat adeò
pauper, vt res non reciperet dilationem; ſe-
quitur, vt à decreto facto ſuper taxatione
mercedis, non potuerit appellari, ſicut nec à
ſententia lata in cauſa alimentorum debito-
rum officio iudicis, propter paupertatẽ, non
poteſt appellari, quia res dilationem non re-
cipit, l. fin. ff. de appell. recip. ita etiam dicen-
dum eſt de ſententia lata in cauſa mercedis
pauperis, vt non ſit appellabilis propter ean-
dem rationem, quia res dilationem non pa-
titur, &c.) quæ vera eſt. Cui & huic noſtræ
opinioni videtur ſe inclinari Mena d. n. 13.
83 vbi dicit; quòd reſpectu appellationis admit-
tendæ vel non, attendatur perſonarum qua-
litas, diuitiæ, & paupertas. quod verum eſt.
tenet etiam Ruginell. tract. de appellat. cap. 3.
n. 286. tenet etiam Eſcacia eodem tract. q. 17.
limit. 8. num. 8. & ſeqq. tenet Marqueſſ de com-
miſſ. 1. p. c. 19. n. 27. fol. 216. optimè Gratian.
diſceptat. forenſ. c. 257. à n. 44. cum ſeqq.
Quod indiſtinctè procedit in ſalario fa- 84
mulorum, & mercede operarij, etſi de eorum
paupertate non conſtet, quia operarij pau-
pertas, vti qualitas naturalis præſumitur, be-
ne in tractatu de paupertate & eius priuilegio
quæſt. 6. n. 1. tomo 18. fol. 164. Eſcacia de appell.
quæſt. 17. limit. 8. ſub num. 9. vbi inquit, quòd
præſumitur in his famulis & operariis pau-
pertas, qui vt plurimum ex ſudore vultus 85
viuunt, & neceſſitate coacti ſeruiunt, & ideo
in cauſa ſalarij famulorum proceditur die 86
feriato ob honorem Dei, ex quo illud ſala-
rium ſuccedit loco alimentorum. Eſcacia
vbi proximè ſub n. 8. & lib. 1. cauſa. ciuil. & crim.
c. 5. num. 61.
Quare ſignatura iuſtitiæ quando agitur
de mercede promiſſa, vel de mercede inter
eum, qui eſt ſolitus locare operas ſuas, & 87
eum qui eſt ſolitus conducere; non ſolet re-
ſcribere in commiſſione niſi cum clauſula
(ſine præiudicio legitimæ executionis) aut
(ſine retardatione executionis) præſertim
quando ſententia eſt lata in tribunali Re-
uer. Gubernat. vrbis. Marqueſſa. de commiſſ.
1. p. in commiſſ. appella. in cauſa mercedis 519.
n. 22. & 23. fol. 216. Eſcacia de appellat. q. 17.
limit. 8. ſub n. 9. & 10. vbi dicit, quòd ſi aga-
tur de mercede non conuenta, nec inter ſo-
litos locare, & conducere, ſignatura ſolet
reſcribere cum clauſula (ſi quid exequen-
dum.) Marqueſſa. vbi proximè n. 24.
Et vbi agitur de mercede non conuenta, 88
ſed inter ſolitos locare & conducere, &
ſignatura ſentiat, iudicem à quo exceſſiſſe
in taxatione mercedis, ſolet in aliqua parte
dare executionem, & in alia appellationi
ſimpliciter deferre, aut aliter ſub arbitrio
ſub diuerſis temporibus reſcribere. Eſcacia
vbi ſuprà n. 10. & Marches num. 25.
Si autem pars opponat, operarium eſſe 89
diuitem, & de eo conſtiterit, ceſſabit priui-
legium appellationis, quia imò tunc habe-
bit locum quoad vtrumque effectum, ete-
nim ſub hac qualitate neceſſaria pauperta-
tis fundatur appellationis denegatio, qua
ceſſante, debet cauſa remanere ſub diſpoſi-
tione iuris communis, vt ex d. Rotæ deciſ.
tenet optimè Gratia. Marqueſſa. & alij locis
ſuprà citatis.
Vnum tamen obiter aduerto: quòd in 90
hoc articulo iuſtis iuris terminis abutuntur
Doctores, præcipuè Mandoſ. & Flores, dum
dicunt: in cauſa ſalarij & mercedis procedi
ſummariè & executiuè: ſiquidem nulla pro-
batio,

batio, quantumcumque liquidiſſima execu-
tionem habet. And.R. *in tractatu de executio-
ne cap.1.art.2.n.16.* Nec valet conſequentia,
91 cauſa eſt ſummaria, ergo executiua, quia in
cauſa ſummaria proceditur iuris terminis
ſeruatis, licèt abbreuiatis, & admittitur ap-
pellatio *cle. diſpendioſam, de iudicijs. clem. ſæpe,
de verborum ſignif.* niſi aliqua ſpecialis ratio,
& cauſa obſtet. A contrario autem conſe-
quentia valet, eſt executiua, ergo ſummaria,
non enim quòd aliqua cauſa ſit inappella-
92 bilis, & ſententia exequatur, dicitur procedi
in ea executiuè, quoniam hoc etiam accidit
in vna ſententia lata in iudicio ordinario,
vt eſt videre in poſſeſſorio (vt infrà ſuo lo-
co dicemus) & in cauſis criminalibus, & in
cauſis ſuper prouiſione beneficiorum Paro-
chialium, quando iudex vult, iuxta text. &
gl. *in cle. diſpendioſam, de iudicijs.* & aliis in-
finitis.

93 Et de materia ſalariorum vltra ſuprà ci-
tatos vide multa allata in propoſitum per
Marcheſa. *d. cap. 19. per totum.* qui *num. fin.*
bene aduertit pro ſalariis aduocatorum Pro-
curatoris & ſimilium. Tractatur & conue-
nitur debitor, vbi cauſa tractata eſt, & eius
ſortitur forum, *ex l. 1. §. in honorarijs, ff. de
varijs & extraordinarijs cognit.* & ita practi-
catur, Bobadilla *in politic. lib. 2. c. 17. à n. 130.*
94 qui loquitur in iudice Eccleſiaſtico, vt poſſit
laicum litigantem compellere ad ſalarium
Aduocatorum & aliorum. Mandoſ. *in formu-
la commiſſio. 11. in verbo validitate iuriſdictio-
nis.* Gratianus *in diſceptatio. forenſ. c. 154. n. 24.
tomo 1.*

CAPVT III.

Appellanti à ſententia, qua quis condemnatur ad ſolutionem penſionis ſuper eius beneficio appoſitæ; an & quando ob denegatam delationem vis fiat.

SVMMARIVM.

Penſio reſeruata pro alimentis & pro vitæ humanæ ſuſtentatione non recipit appellationem ſuſpenſiuam, vbi de exemplis. n. 1.

Penſionis proceſſus ſiue fulminetur executiuè, ſiue ſummariè tantùm, appellatione ſuſpenſiua caret. num. 2.

Subſidium charitatiuum impoſitũ per Epiſcopum pro alimentis appellationem non admittit. n. 3.

Salarij & mercedis executio non ſuſpenditur per appellationem. n. 4.

Penſionis ad ſolutionem cõdemnatus vigore Bullarum Pontificalium ex cauſa puta, reſignationis, non poteſt impedire executionem per appellationem. n. 5.

Literæ Apoſtolicæ ob eius reuerentiam habent executionem paratam, quæ non ſuſpenditur per appellationem. n. 6.

Literarum Apoſtolicarum virtute proceditur executiuè contra titulatum tam ob earum reuerentiam, quàm ob obligationem cameralem, quæ in eis fieri aſſolet. n. 7.

Commiſſio appellationis ab executione literarum penſionis reſcribitur cum clauſula (ſine præiudicio legitimæ executionis) & non cum clauſula quam dicit Guigas. n. 8.

Clauſula (ſine retardatione ſolutionis penſionis) tunc apponitur, quando committitur appellatio ſuper nullitate, aut reductione penſionis, & aliàs, vt in n. 9.

Clauſula (ſine præiudicio literarum Apoſtolicarum) quando apponatur. n. 10.

Commiſſio appellationis ab executione vigore cameralis obligationis, qua clauſula reſcribatur. num. 11.

Ab executione literarum Apoſtolicarum, inſtrumenti cameralis, aut rei iudicatæ appellans præſupponit antecedens validum, à quo executio dependet, & negat conſequens, nempe, executionem, & ſic nihil agit. n. 12.

Clauſula (ſine præiudicio literarum, &c.) & ſimiles præſeruant iuriſdictionem iudicis à quo, nec commiſſio impedit ad vlteriora procedere. num. 13.

Clauſula (ſine præiudicio literarum, &c.) ſtante poteſt iudex à quo titularem cogere ad ſolutionem penſionis. n. 14.

Clauſula præſeruatiua ſtante commiſſarius non poteſt inhibere iudici à quo. n. 15.

Clauſula præſeruatiua eneruat vim & effectum inhibitionis. n. 16.

Inhibitio cẽſetur expedita ſubintellecta illa clauſula præſeruatiua prout in commiſſione, à qua non aliter iudex recipit iuriſdictionem. n. 17.

Inhibitioni cenſetur ineſſe dictæ clauſulæ conditio, quia iudex non habet iuriſdictionem niſi peracta executione, qua deficiente euaneſcit inhibitio. n. 18.

Ab inhibitione, cui virtualiter ineſt clauſula præſeruatiua, appellationi emiſſæ eſt vt legitimæ deferendum. n. 19.

Clauſulæ præſeruatiuæ limitant, & ſuſpendunt iuriſdictionem iudicis de appellatione cogniturι vbi clauſula præſeruatiua (ſine præiudicio, &c.) tribuit iuriſdictionem conditionalem, & operatur, vt iudex non poſſit in cauſa appellationis procedere niſi ſoluta priùs penſione. n. 20.

Clauſula præſeruatiua operatur vt non poſſit in cauſa principali procedi etiam ſi verè penſio ſit ſoluta, in actis tamen de ſolutione non conſtat. num. 21.

Iudex

Iudex debet eſſe certus de ſua iuriſdictione. n. 22.

Qualitas & natura appellationis multoties variatur, & alteratur ex modo procedendi. n. 23.

Exceptionem legitimam, puta, ſurreptionis, defectus iuriſdictionis, vel ortam ex ventre gratiæ tacitè, expreſſè, purè, aut conditionaliter, ſi executor non admittat, excedet, & appellatio vti legitima ſuſpendit. n. 24.

Et hoc caſu Senatus Regius aditus per viam violentiæ deferre, & reponi, decernit. ibidem.

Auditori Cameræ denegatur iuriſdictio in prima inſtantia, quando excedit metas, & formam reſcripti, & rectæ executionis. n. 25.

Penſionis executioni locus non erit, nec clauſula (ſine retardatione) vel (ſine præiudicio legitimæ) effectum habet, quando ex ventre Bullarum conſtat de vitio nullitatis, penſionis, aut alterius legitimæ exceptionis. n. 26.

Clauſula præſeruatiua (ſine præiudicio legitimæ executionis, &c.) non procedit niſi pro ſumma contenta in ſententia. n. 27.

Exceptio orta ex ventre Bullæ tunc impedit executionem illius, quando gratia eſt conditionalis, non aliàs. n. 28.

Clauſulæ (ſine retardatione, &c.) effectus non impeditur, quando penſionarius eſt in quaſi poſſeſſione exigendi penſionem, licèt exceptio oriatur ex ventre Bullæ. n. 29.

Quod fallit ſi ipſa poſſeſſio ſit turbida & non clara, penſioq́; fuerit exacta per compulſionem & metu cenſurarum, quia tunc neminem conſtituit in poſſeſſione. n. 30.

Auditor Cameræ poſtquam ſibi literæ penſionis ſint præſentatæ, procedit vel per viam monitorij vſque ad mandatum executiuum, vel per viam proceſſus fulminando cenſuras, committendo publicationem omnibus & ſingulis, &c. num. 31.

Subexecutor virtute clauſulæ (cæterum proceſſibus fulminatis, &c.) debet eſſe canonicus Cathedralis, vel aliàs in dignitate conſtitutus, quia eſt mixtus ſummariam & executiuam habens cauſæ cognitionem. n. 32.

Subexecutor literarum penſionis quemadmodum procedat ad earum executionem, & quo vtatur ſtylo. n. 33.

Si agitur contra poſſeſſorem beneficij, qui penſioni conſentit, ſtatim, ſeruatis tamen terminis de ſtylo Romæ ſeruari ſolitis, aut accuſata contumacia, datur in eum ſententia declaratoria facta expenſarum condemnatione. n. 34.

Penſionis reſeruatio ſi eſt conditionalis, aut poſſeſſor non eſt qui illi conſenſit, debet penſionarius coram executore de quaſi poſſeſſione exigendi penſionem docere, aliàs debet narratiuam, & conditionem verificare. n. 35.

Penſioni non conſentiens ſucceſſor, vt queat declarari in cenſuras incurriſſe, debet Bulla ipſa intimari. ad faciendam autem executionem in eius bonis ſufficiet monitorium auditoris inſerto tenore gratiæ. n. 36.

Citatus ad totam cauſam ſi eſt contumax, alia non requiritur citatio. n. 37.

Citandæ ſunt partes ad omnem cauſam incluſiuè, & citationes quæ poſtmodum fiunt in Curia per audientiam contradictarum, procedunt potius ex vrbanitate, quàm neceſſitate. num. 38.

Citatus ſi compareat, & aliquam legitimam exceptionem opponat contra executionem penſionis (de quibus hîc) debet iudex breuem terminum aſſignare, cùm incontinenti exceptio probanda ſit. n. 39.

Exceptiones oppoſitæ ſi requirant altiorem indaginem, reſeruantur iudicio ordinario. n. 40.

Exceptio litis pendentiæ ſuper nullitate aut reformatione penſionis, non impedit interim agere via executiua ad ipſam penſionis exactionem. n. 41.

Quod procedit ſiue quando lis pendet vigore commiſſionis Pontificis cum clauſula ordinaria (ſine retardatione ſolutionis penſionis, &c.) & quibus rationibus hæc clauſula in commiſſionibus apponatur. ibidem, & n. 50.

Poſſeſſori nouo beneficij competunt remedia poſſeſſoria pro rebus ad illud ſpectantibus, quas non poſſedit, dummodo prædeceſſor fuerit in poſſeſſione. ibidem.

Penſione tranſlata vigore literarum ſi titularis alleget, non rectè factam fuiſſe tranſlationem, commiſſio conceditur cum clauſula (ſine retardatione) licèt tranſlatarius nunquam fuerit in quaſi poſſeſſione exigendi ſed transferens ſic. n. 42.

Titulari etiam habente vnam ſententiam pro ſe in commiſſione ſuper tranſlatione penſionis, reſcribitur cum clauſula (ſine retardatione, &c.) num. 43.

Lis ſuper reformatione aut nullitate penſionis etiam ſi pendat coram ordinario abſque commiſſione, vel cum ea, etiam abſque dicta clauſula præſeruatiua, adhuc talis exceptio non impedit executionem penſionis. n. 44.

Etiam ſi ordinarius hoc caſu executorem inhibuiſſet, quia cùm ſit inferior non poteſt. num. 45.

Clauſula (ſine retardatione, &c.) apponi ſolet in commiſſione, ſuper cauſa reductionis vel nullitatis penſionis ob Pontificis reuerentiam, & calumnias debitorum. n. 46.

Clauſula præſeruatiua limitat, & ſuſpendit iuriſdictionem iudicis commiſſarij. n. 47.

Clauſula præſeruatiua importat conditionem, ita vt iudex non poſſit procedere, niſi priùs ſoluta penſione. n. 48.

Et etiam facta inhibitione, cuius potentiam eneruat clauſula, & ſubintelligitur conditio commiſſionis. n. 49.

Clauſula